

**SANCTI BERNARDI
OPERA OMNIA**



**GAUFRIDI ABBATIS CLARÆ-
VALLENSIS OPERA.**

SANCTI BERNARDI

ABBATIS CLARÆ-VALLENSIS

OPERA OMNIA

POST HORSTIUM DENUO RECOGNITA, REPURGATA, ET IN
MELIOREM DIGESTA ORDINEM, NECNON NOVIS
PRÆFATIONIBUS, ADMONITIONIBUS, NOTIS ET
OBSERVATIONIBUS, INDICIBUSQUE COPIOSISSIMIS
LOCUPLETATA ET ILLUSTRATA,

CURIS D. JOANNIS MABILLON,
PRESBYTERI ET MONACHI BENEDICTINI E
CONGREGATIONE S. MAURI.

Editio quarta, emendata et aucta.

VOLUMEN SECUNDUM
Pars altera, tomus sextus,

col. 2534-2592

GAUFRIDI ABBATIS CLARÆ-VALLENSIS OPERA.

PARISIIS,
APUD GAUME FRATRES, BIBLIOPOLAS,
VIA DICTA POT-DE-FER, N^o 5.
MDCCCXXXIX.

GAUFRIDI ABBATIS CLARÆ-VALLENSIS
IV SERMO.

In anniversario obitus s. Bernardi.

1. Quam dulcis hodie, dilectissimi filii, paterna debet esse memoria! quam amabilis, [2535] quam acceptabilis, quam jucunda, quam celebris! Cum enim sit pretiosa in conspectu Domini mors servi ejus; nullatenus est negligenda mortalibus, nec sepelienda tanti viri memoria negligentiae tumulo, nec oblivionis est tumulanda sepulcro. Amplectendum in omnibus, et per omnia nomen sanctum, magnifica ejus opera audientibus, verba legentibus, considerantibus fructum. Nec decet illos corporeum ejus obitum oblivisci, qui ipsius vitam noverunt spiritualement; quam devota Deo, quam pura sibi, quam fuerit utilis et fructuosa quamplurimis. Verumtamen dulcior satis, et longe eis debet esse jucundior hodierna memoria, qui inserti in illius tam bonae olivae pinguedine, etiam nunc ab ipsa sancta radice portantur. Super omnes autem dulcissima ejus et omnimodis debet esse devota, qui memoriam abundantiae suavitatis, quam aliquando gustaverunt, et ruminant, et eructant, dum recolunt et referunt aliis, quae de illo Dei homine viderunt, et audierunt, et manus illorum forte contrectaverunt. Ejusmodi enim secum loquuntur, et de iis pronuntiant universi quod, de beato Elia quidam Sapiens aiebat: *Beati*

sunt qui te viderunt, et in amicitia tua demorati sunt (Eccli. XLVIII, 11). Cæterum, in omni veterum jucunditate captanda nobis utilitas, et quærendus in omnibus devotionis affectus, salutis fructus, ædificationis effectus. Paupertas siquidem nostra refici magis eget, quam delectari: et si non desipit, escas potius quam delicias quærit.

2. Et sane utrasque in hac sancta et fructuosa arbore, si pie quærimus, invenimus. Hoc enim lignum primo quidem plantatum secus decursus aquarum, fructum suum dedit in tempore suo. Sed jam nunc, ut alibi transplantatum est secus aquas, nec aliquem desinit facere fructum. Vivunt adhuc in nobis exempla conversationis ejus, et frequentantur eloquia oris ejus, orationum ejus suffragia sacra non desinunt. Legimus de filiis Israël, quod *servierunt Domino cunctis diebus Josue, et seniorum, qui noverant omnia opera Domini quæ fecerat in Israël* (Josue XXIV, 31). Utinam longo vivat tempore hujus beati Patris generatio, quam præsentialiter per Evangelium genuit ipse, et sæpius parturivit! Utinam ejus vestigia sic sequatur, ne (quod absit) adversus eam secutura posteritas causas [2536] habeat querelarum, quod declinantes cito a via vitæ, quæ ostensa est eis, nec ipsi intraverint nec permiserint nos deinceps introire sequaces! Hoc enim erat, quod a vobis assumendus, studiose monebat. Et nunc quoque, ni fallor, imo quia non fallor, paterna desiderat charitate, *ut*, secundum illud Apostoli,

quemadmodum accepistis ab eo quomodo oporteat vos ambulare et placere Deo per omnia, sic et ambuletis, ut abundetis magis (I Thess, IV, 1). Nimirum sollicitus erat propter illud forsitan Moysi sancti terribile verbum quod legerat, ne forte dicendum aliquibus videretur : *Adhuc vivente me et ingrediente vobiscum, semper contentiose egistis contra Dominum : quanto magis, cum mortuus fuero ?* (Deut. XXXI, 27.) Nec minus, ut vereor, apostolica eum verba movebant, quod intraturos forte prænosceret post discessum suum in discipulorum ovilia lupos graves (Act. XX, 29). Utinam ergo nobis ille in perpetuum vivat, nec aliquando moriatur ! Utinam nunquam discedat, sed firmiter teneatur, nec aliquando dimittat ! Utinam noster ille inveniatur Abbas, et vos filii ejus ; vester ille pastor, et vos oves pascuæ ejus ! Nos enim, ut ipsi scitis, non propter nos, sed propter illum qui dilexit nos, hodie hic sedemus, quod cavere ante omnia volueritis, ne surrexisse videretur in nobis qui ignoraret Joseph (Exod. I, 8).

3. Et nunc, charissimi, quæ videntur in nobis, temporalia sunt, et continuo transitura : non sic autem quæ in illo credimus, etiam videmus. Invisibilem itaque, tanquam videntes æmulemur et veneremur, in omnibus observantes præcepta ejus, consilia et exempla optantes, etiam et orantes. Utimur interim commemoratione, temporali congratulamur officio, perpetuo lætamur aspectu. Nunquid enim vel modo, sicut

videre eum non meremur, sic ab eo ipsi etiam non videmur? Absit a nobis, fratres, absit, ut tale aliquid vel tenuiter suspicemur! Quam multa Vir sanctus, etiam, dum in carne vixit, vidit in spiritu? quanta etiam longe positus comperit? quam multa quoque futura prænovit, atque prænuntiavit? Scio hominem, quem divini sermonis homo cum aliis quidem non paucis ipse piscatus, in cellam Novitiorum, ubi plures eo tempore juxta legis Dominicæ sanctionem, primitiarum manipuli frangebantur, et torrebantur, induxit. Interim causa [2537] exstitit, sicut frequens illum trahebat necessitas, tam suorum, quam totius Ecclesiæ Dei, ut egressus a monasterio per dies aliquot Pater sanctus absens, sed corpore solo, non corde, nec efficaci providentia spiritus, sed præsentia carnis infirma. Regressus denique de via, tirones Domini sui confestim visitat, quos ad militiam ejus (si bene memini) circiter octoginta armis spiritualibus instruebat. Quibus salutatis, non multa locutus, unum illorum nomine evocans, aiebat: « Noveris quia, postquam me non vidisti, ipse te vidi, et quidem mœstum nimis, ac vehementer afflictum, et cum tibi pacem, cupidus pacis osculum darem, lacrymis tuis ipse permadui. » Hæc ait, et propius illum accedere jubens, sua illa piïssima dignatione osculatus ac magnifice consolatus est eum. Nec mirum quod mira facilitate, mira celeritate nubem illam radius ille dissolvit; siquidem non jam illa

visio fuerat. Nam in multa ante præventum benedictione dulcedinis, post ejusdem beati Patris egressum, gravissima quædam occupaverat ea tempestate tentatio, et propemodum vehemens absorbuerat mœror. Sed gemina quædam sacrorum gratia labiorum in verbo veritatis, et in osculo charitatis confestim tristitiam depulit, reddidit lætitiã salutarem.

4. Et nunc, fratres, quis dabit capiti nostro aquas lacrymarum, fontes oculis nostris? Suspiremus lumen, suspiremus, charissimi, suspiremus ad Dominum, donec arenti nostræ terræ utrumque adjiciatur irriguum: deducant oculi nostri divisiones aquarum, si forte in illum pluant paternæ clementiæ sinum, si forte etiam nunc ad filiorum fletus paternum madeat pectus. Quem enim velut in cunis adhuc infantilibus vagientis parvuli causa non latuit, quando longe positus, et afflictus tribulationem perceperit, et tristitiã noverit, lacrymas senserit: quid putatis, quanto certius nunc nostra omnia percipit, omnia novit, omnia sentit? Aut quomodo singulis quibusque, cum apparuerit adhuc, si sine ulla hæsitatione viderimus eum: et utinam gaudeat cor nostrum, et gaudium nostrum nemo tollat a nobis, quomodo, inquam, singulos amplectetur, singulos alloquetur, singulis indicabit, « Quia ego tibi, cum nescires, in illa tunc necessitate adfui, illos audivi gemitus, illos conatus adjuvi, illas vidi lacrymas, suspiria illa suscepi? » In qua [2538]

tamen nimirum exspectatione ipsos, quos Vir sanctus adhuc in carne degens spiritualiter educavit, primos convenit, et non solos : utrumque enim eadem de se ipsa Veritas ait : *Beati oculi qui vident quæ vos videtis* (Luc. X, 23) ; et : *Beati qui non viderunt, et crediderunt* (Joan XX, 29).

5. Nonnullis etiam Pater sanctus, cum in carne eum non viderunt, benignum sese in spiritu exhibuit patrem, tulit opem, abstulit tentationem, attulit consolationem. Nam ex lavacro sacri corporis ejus, cum ex more ei post transitum debitas exhiberemus exsequias, fratres quidam in remotissimas orbis partes deportaverunt ; et, sicut eorundem certa relatione didicimus, cum jam decimus annus transierit (an. 1163), non tantum aqua illa usque modo manet omnimodis illibata, sed eandem obtinet et gratiam quæcunque fuerit superfusa. Cum enim pluribus jam ad remedia postulanti- bus de eodem sacro liquore donaverint (nam et eum multis opem tulisse confirmant), impleto tamen sæpius aqua altera vasculo, talis permanet usque hodie, qualis prima fuerat die. Atque utinam in perpetuum in ejusdem beati Patris congregatione probetur, quod in liquore fieri perhibetur, ut nec color optimus in exteriori conversatione nec sapor in cœlesti intentione, nec odor in opinione mutetur ; sed eidem gratiæ in qua Vir sanctus exstitit, quidquid infunditis conformetur. Neque nunc ipsius proposuimus narrare virtutes, sed ad ejus æmulationem et

reverentiam vestras, quantum possumus, erigere mentes. Quem nimirum, etsi corporaliter jam non videtis, spiritualiter quæ de illo dilectionis vestræ corda meditantur, adjuvabunt sensus nostri conatus ; et quidquid sermoni meo expedire difficile est, vestra sibi pectora propriis cogitationibus eloquentur. Scriptura quodam loco continet : *Sapientia in exitu cernitur*, hoc est dicere : Sapientis conversatio in consummationis fine laudatur. Unde et in alio loco : *Ne laudes*, inquit, *hominem in vita sua* ; et iterum : *Ante mortem ne laudaveris quemquam* (Eccli. XI, 30) : tanquam diceret, Lauda post mortem. Viventis enim laudibus laudato locus vanæ exultationis offertur, et laudatori maxime nota assentationis affigitur.

6. Multis enim modis utile est laudare defunctum. Primum, quia dum abest cui gratificari laudatione possumus, necesse est ut ad [2539] largitorem gratiæ Deum laus tota referatur. Deinde, quia sola virtutis admiratio residet, ubi suspicio assentationis aufertur. Defuncti itaque in sancta congregatione fidelium laus prolata plena est ædificationis, jactantia vacuat merita ; in hoc quoque eum, qui laudatur, accusans, quod plures sua laude proficiunt. Nec vereor ne nimis forsitan favorabiliter de eo me loqui credatur, quia, præterquam nihil non inferius dici suis virtutibus potest, nemo est qui illum non suum computet, suum senserit, suumque crediderit. Non tamen ego ingenii fiducia, neque fretus eloquio, ad

attingendam tanti Viri vitam manum mitto : quam si quis priscae eloquentiae auctor attingeret, non solum nihil facundia ornaret, sed victus materiae mole succumberet. Vester me amor provocat, vester affectus de illo aliquid loquendi fiduciam subministrat. Animabitur ipsius, ut credimus, merito sermo, quamvis repentis ingenii ; et quod jacet verbis, elevabitur rebus, et effusa in illum charitate vestrorum pectorum condietur.

7. Est illud votum omnibus oratoriae disciplinae, quorum laudandam susceperunt vitam, patriam prius et originem praedicare, ut quod in propriis virtutibus deest, in patrum gloria praecessisse videatur. Nos autem in Christo omnes unum sumus, et fastigium est nobilitatis, inter Dei famulos computari : nec addere quidquam nobis ad dignitatem hanc originis terrenae decus, nisi contemptu suo potest. Nemo in caelis clarior, quam qui repudiato patrum stemmate, elegit sola Christi paternitate censi. Praetermitto itaque commemorata avita illius saecularium honorum insignia, et familiae suae nobilitatem majori generositate pectoris fastiditam, nec placuisse illum sibi de supervacuis suorum honoribus, qui per amorem veritatis jam suos non optabat. Ad illud potius meus sermo festinat, quam dulcissima infantia, quam modesta pueritia, quam gravis adolescentia fuerit, quam omnes aetatum gradus supra virtutem transcenderit, majorque semper inventus sit, ut

prorsus divino quodam pædagogio educatum putem. Intraverat enim gratia sua omnium sensus ; et cum eum Christus sibi assumeret, terram [*Fortasse*, tamen] in suis omnibus certatim mundus tenebat. Alios dulcedo sua alligaverat, alios collegii blandimentum devinxerat, alios juvenum exercitus admiratio sæcularium [2540] virtutum tenebat. Quot illi jura prioris gratiæ fuerant, tot a conversione vinculis retrahebatur. Commune quoddam decus præripi omnes timebant. Et vere quis unquam illum habitus non quasi proprius accepit ? Quos aliquando amictus non ornavit ? Itaque velut splendidissimam gemmam et commune omnium decus sibi simul putabant eripi, neque immutanda hæc omnia et reformanda in melius, ut vidimus, sed quasi moritura credebant. Nec immerito eum sæcularis gloria sibi a Christo præripi timebat, quem inter reliquos ornatissimum invenit, velut unicum amplectebatur.

8. Verum fastidiebat adolescens, quo grandævi delectabantur, tali se semper adhortatione compellans : « Delectat hæc vita, sed decipit. Alia in ecclesiis præcepta recitantur ; alia ibi in auribus mandata sonuerunt. Illic modestia, continentia, et pudor traditur : hic luxuria effrenata mittitur. Illic ad æternum regnum Christus invitat : hic diabolus ad temporale sollicitat. Omne quod in mundo est, vanitas et concupiscentia oculorum. Et mundus transit et

concupiscentia ejus : qui autem facit voluntatem Dei manet in æternum (I Joan. II, 16, 17), sicut et ipse in æternum. Festinemus erui ab his laqueis, dum adhuc minus tenemur. Diu alligata tardius solvuntur. Facilius est tenera vellere, quam robusta succidere. In monte salvam fac animam tuam, ne forte apprehendant te mala conversationis istius. Cito serpit voluptatis venenum. Servanda est Christo pro Christi gratia sumpta libertas. Alii aurum argentumque mirantur : dominantur, ut video, metalla dominantibus. Prædia atque mancipia non sine animi sui captivitate possideant alii, honoribus gaudeant, et honori in se divinæ imaginis præferant. Mihi satis est mancipium non esse vitiorum ; mihi salus, gaudium ; mihi in virtutibus, voluptas ; mihi thesaurus sit. Pensabit mihi gaudia mœroribus : dabit et in hac vita, disciplinæ studio oblectari, et ornari ; et inter hæc dignum fieri cœlestibus regnis. » Nec longas talis meditatio moras pertulit, sed illico in flammam conversionis nutrita hujusmodi fomentis scintilla perrumpit. Jugum Dominicæ servitutis subdita cervice suscipiens, jugum libertatis excussit, intelligens summum esse captivitatis genus licentiam juventutis. Transfertur ad nitorem mentis vestium [2541] splendor ; cervicis lacteæ decus pallii rigentibus occupatur ; transit lætitia in gravitatem : membrorum vigor animi vigore mutatur. Virtus corporis in virtutem spiritus migrat : pallescit

jejunio speciosa facies ; et prius succi, fit plena gravitatis. Et quid plura ? totus de alio alius ostenditur. Assistit tironi suo Dominus, et consolatur : nec dissimulat germanos suos in collegium suscitare, qui exemplo ejus vocati ad conversionem, sicut collegio illum, ita et virtute comitati sunt.

9. Hinc jam inter illos certamina gratuita propositi [*al.* proposita], cujus mens ad pietatem mollior, cujus esset cibus durior, cujus sermo blandior, cujus amictus asperior ; quis loqui rarius, quis orare crebrius posset ; quem minus moveret injuria, quem magis misericordia ; quis daret promptius quod sibi detraxisset ; cui in ore rarior mundus, cui frequentior Christus : quis in illa sublimitate virtutum sibimetipsi minor videretur ; et quo magis merito ascenderet, hoc magis compunctione decresceret. Jam quæ illorum gravitas, quæ simul maturitas, quam rara feminarum visitatio, etiam proximarum, et quæ inter tot virtutes totius vanitatis fuga ! Industria horum electis Dei templum excitatur, apta monachorum tecta consurgunt, ubi angelica ab illis vita in terris ducebatur, in multa patientia, in vigiliis, in jejuniis, in scientia, in longanimitate, in Spiritu sancto, in charitate non ficta, in verbo veritatis, in virtute Dei. Interea amor in illum omnium crescebat, multiplicabatur, disseminabatur, et fama in ulteriora quæque ferebatur. Tota erga illum patria obsequii amore

et honore certabat. Pavebat ille interea gloriam suam ; et honorem bonæ conversationis longe lateque diffusum licet ad Dei laudem referret, sibi tamen vanitatis periculum metuebat inferre : percepisse se in vita sua mercedem putabat. Certatim jam illi omnis regio quærentes Deum dirigebat : hunc expetiit quisquis Christum desideravit : plane Christum, qui hunc expetiit, invenit. Illic enim totus ille vigebat. Pectus suum quasi præcelsam arcem et splendidissimum templum insederat. Illic castitas, sanctitas, fides, sapientia, et virtus habitavit : ibi justitia fulsit et veritas. Itaque velut effusis ulnis, patentibusque brachiis in amplexum suum omnes, hoc est, in amorem Christi invitabat. Omnes undique ad illum certatim confluebant. [2542] Etenim quæ adhuc terra, quæ natio in monasterio illius cives suos non habet ? Quem ille rabidum non mitigavit ? quoties de immanibus belluis quam mites fecit columbas ? quam amaros interdum movit et Christi dulcedine aspersit ; et quorum gravitas sibimetipsis pœnalis fuerat, eorum postmodum gratia oblectamento omnibus erat ? Degustata denique boni suavitate, non poterant non magis odisse quanta [*fort.* quod antea] fuerant. Nam velut educti in novam lucem, antiquum illum diu insidentium errorum carcerem detestabantur.

10. Pulsa est per orationes ipsius varia pestis animorum. Amaritudo, asperitas, et rabies locum

dabant libertati, quam Christus obtulerat : et delectabat requies post longam et gravem Pharaonicam servitute[m]. Stupenda et admirabilis permutatio ! Non circeo, ut aiunt, poculo ex hominibus feras, sed ex feris homines Christi, tanquam dulcissimum poculum ipso ministrante, faciebat. Quid enim non obtineret illa instantia cum alacritate conjuncta ? Aut qui lapides non in Abrahæ filios verterentur (Matth. III, 9), ubi tanta in exspoliendis mentibus officina virtutum ? Si minus hominem ad salutem suis exhortationibus promoveret, Deum oratione constringeret. Omnium enim ille passiones suas credidit, et tanquam suas fleuit, et profectus laboresque omnium computavit suos, sciens gaudere cum gaudentibus, flere cum flentibus. Simul et virtutes, et vitia omnium in meriti sui cumulum transferebat. Sicut enim virtus ad virtutem excitat : ita miseratio miseris impensa sanctificat. Metit ergo in singulis plus quam singuli sibi. Singulorum enim salus summam illi gloriam struit. Impiger, festinans, infatigabilis perseverat, prout uniuscujusque mores naturamque conspexerat. Hunc secreto, hunc palam ; hunc severus, hunc blandus aggreditur, et ad castigandi immutationem, ipsam plerumque faciem castigationis immutat. Inde illud erat, quod non facile quemquam tantum vel amari vidimus, vel timeri. Ita enim duos hos affectus in unoquoque

suorum collocabat, ut amor suus dilecti metum, et timor disciplinæ amorem introduceret.

11. Incredible est quantæ illi curæ fuerit, ne quem tristitia affligeret, ne cogitatio singularis urgeret ; quam facile perspexerit quid quemque vexarit, quam singulorum mentes gestarit : [2543] quantæ præterea pietatis dispensatione provideret, ne quem nimii labores gravarent, ne quis nimia quiete torperet ; ipsos, si dici potest, singulorum fratrum somnos pio pensavit affectu. Valentes corpore a desidia semper discutens, ferventes spiritu cogebat ad requiem. Omnium vires, omnium animos, omnium stomachos instinctu, ut credo, Dei noverat, vere servus omnium factus per Jesum Christum. Mirandum est quomodo unus tot simul officia compleverit : tam varia infirmitate præsertim vexatus, fortissimos quosque et recenti adhuc comessatione pervalidos in jejuniis, vigiliisque, impar viribus, pari lege comitatus est. Infirmos ipse infirmior visitans, refrigerium animarum simul providit et corporum ; et ne cuiquam minus fuisset impensum, animo semper recurrebat : « Hic alget, hic cogitat, illi labor gravis est, huic esca non congruit, ille ab alio læsus est. Grave quod hic intulit, non minus grave quod iste sensit injuriam. Grandi instantia opus est, ut offensa gratiam consequatur : et hic sibi illatam contumeliam, aut nullam, aut levem putet ; hic autem se gravissimam intulisse suspiret. » Hæc illi jugis

opera, jugis intentio erat, levigare omnibus jugum Christi ; et quidquid diabolus injecisset, avertere : discusso culparum nubilo gratiarum serena revocare ; amorem Christi et proximorum amando inserere ; et mentes omnium tanquam suum pectus innovare gaudio, et ad Christi desiderium tanquam primo conversionis die inardescere.

12. Hinc illud erat, quod omnis congregatio cupida servitutis, ad nomen ipsius ex diversis terrarum partibus collecta, tam moribus quam linguis dissona, in illius conspirabat amorem. Omnes dominum, omnes patrem vocabant, in illo sibi patrem, ac propinquos, et omnia simul reddita computantes. Didicerant omnes, ipso sibi compatiente, dolores illius suos comportare [*fort.* computare] : ut sicut sol cœli faciem, pro sua sola aut obscuritate, aut serenitate vestit ; ita congregatio illa cœlum sitiens, et cœlestibus studiis mancipata, ab ipso vel nubila, vel serenitatem mentium quasi a speculari in Christo sole susciperet, ipsoque congruo congrueret, inspiranti revelaret. Hinc illa erat, et adhuc suis orationibus permanet diffusa in monasterio Spiritus sancti gratia, tanti doctoris exemplo et [2544] admissione firmata, et in variis charismatum donis, et humilitate, et mansuetudine, et charitate non ficta : et una capitis gloria in diversitate membrorum. Magna illi inter hæc erga advenas et hospites cura : in

squalore eremi, suo conspectu delicias ministrabat, tunc primum agnitos tanquam dudum suos, cum tanto gaudio et alacritate suscipiens tanquam adoptasset. Nullius pene angustiae ad ipsum pervenerunt, quae ultra ipsum protenderentur, et non in ipso metam reperirent. Certatim ad ipsum undique litterarum officia perlata sunt. Quibus ille quam novis affatibus variata reddebat, quam gravia, quam blanda, quam dulcia ! Quis non se beatam domum, beata scrinia credidit ? Sermo ex ore ipsius tam meditatus, tantum in scriptis illius salutis, tantum dulcedinis fuit, ut non scriniis aut armariis, sed arca patula conderentur. Inde est, quod plurimi ea scripta sensibus ferunt, et ad testimonium amoris sui libentissime proferunt. Denique quis unquam tantos sibi amicorum praesentium alligavit affectus, quantos qui se diligerent, avidissime desiderarent, habuerit ignotos ?

13. Interea ego, dum multimodam ejus in omnes gratiam memoro, in me infinitam curam praetermitto : quae utinam mihi non minus in Christo salutis attulerit, quam inter vos amoris ! Nam profusa illius in omnes charitas (quod sine invidia dixerim, quantam in me adjecerat ; et leve illud Christi jugum quanto mihi levius blandimentis suis fecerat ? Aluit primum lacte, postea vero potavit etiam profluvio illo, quod in se erat, caelestis sapientiae. Atque utinam tantum angustiae spiritus mei, recepissent, quantum ille

studebat infundere ! Præparasset me profecto vobis, et desiderio vestro dignum dedisset, successorem sibi idoneum erudisset. Sed non facile senseratis [*fort.* sentiretis], quantum amisistis boni, si redintegratum vobis bonum vestrum fuisset. Pius Dominus, qui stimulando animos vestros ad dilectionem parvitatæ meæ, dedit ne a sepulcro illius abessem, illud etiam vobis orantibus donet, ne a viis illius longe recedam ; sed quidquid illum egisse cognovero, sine exploratione aut disceptatione factorum agere festinem.

14. Interea ego, dilectissimi, perstringens potius cuncta quam referens de solertissimo Patre vestro, ea quæ erant vobis nota, replicavi. Vidistis enim, dilectissimi, illam sollicitudinis [2545] vigilantiam, illud disciplinæ studium, illas pietatis lacrymas, illam jugem ac perpetuam mentis serenitatem, cujus testimonium vultus immutabilis erat. Vidistis illam latitudinem charitatis, quæ tanta in illo fuit, ut non immerito, si charitas ipsa exprimenda esset, in vultum hujus potissimum pingi debere vultu videretur. Quis unquam illum sufficienter vidisse sibi visus est ? Cui non loco omnium affectuum fuit ? Quis ita mistam hilaritate disciplinam propinavit ? Quem non cum ipsius, qui corripiebatur, voluptate correxit ? Quando lætitia illius lascive quidquam redolens ? quando tristitia non salubris ? Quis eum non altiorem invenit, quam prius viderat ?

Semper in summitate virtutum positus, semper quo crescere posset invenit. Jam vero sub exhortatione ipsius quis anxius non dolorem suum sprevit? Quis feris moribus non insaniam exsecratus est? quis lascivus luxuriam suam non detestatus est? Quid plura? *Omnibus omnia*, ut Apostolus ait, *factus* (I Cor. IX, 22), communis omnium medicina erat. Nullam pene gratiam non in se tam plenam habuit, ut ipsam specialiter excolere et possidere tanquam unicam putaretur. Non facile quidquam tam forti pectore exhorruit. Inter quælibet aspera et diu tolerata tormenta nec optavit improbe mortem, nec expavit. Nam quem vivere inter quælibet gravia in Christi servitute non piguit, ad novam vitam per communem illam novæ vitæ januam transire non timuit, præmeditata illi ultima hominum necessitas.

15. Jam eum quæ circa vos sunt audire et videre nullatenus dubitatis. Nimirum ipse est, qui prima die, qua felicissimum istud cum Domino fœdus iniit et vovit sacræ conversationis, necdum posito habitu sæculari, in fratris latere nondum infixam lanceam vidit, et post dies circiter quindecim infigendi locum vulneris digito demonstravit. Nunc autem corruptibilibus exoneratus exuviis, corporalibus vinculis absolutus, terrenis eductus a tenebris, mundano de carcere erutus, ex his potissimum, quæ ad suorum necessitates pertinent filiorum, aliquid ignorare credatur? Non est ista sollicitudo

carnalis, nec spiritualis est æstimanda paternitas in carnis resolutione dissolvi. Sane etiam nunc audire debet a filiis, audire debet e tumulo, qui auditus olim est in utero materno. Unde etiam celebranda cognoscitur in multa benedictione ejus memoria post decessum, cujus magnifice [2546] commendata est sanctitas etiam ante ortum. Sicut enim novit qui sunt ejus Dominus, et novit utique quos elegit a principio : sic etiam sua quibusque tempora et momenta constituit, quibus æternæ suæ dilectionis, vel ipsis, vel de ipsis innotescat arcanum. Cumque alios in pueritia, alios in juventute, alios in senectute vocaverit : nonnullos tamen, sed paucos, velut quodam privilegio gratiæ specialis in benedictione præveniens, imo præripiens, necdum natos, quales essent, quibus voluit signis et indiciiis declaravit.

16. Sic electi sui et prædilecti hanc venerabilem matrem, adhuc felicissimo onere gravidam, insolita visione perterruit, sed interpretatione ejusdem consolatus est visionis. Cum enim nobili foret gravida fœtu, somnium vidit quod Religioso cuidam solitario indicans ait : « Vidi et audivi quasi catulum toto corpore candidum, in dorso subrufum, in meo latrantem utero, et expavi. » Cui ille : « Ne metuas, ait, paries filium acceptabilem Deo, qui prædicator efficax et eximius, magnus et excelsus in verbo gloriæ est futurus. » Sic nimirum Bernardus noster ex quo cœpit utcunque vivere, cœpit

mirabilis apparere. Necdum parturiebatur, et jam prædicabatur, vel magis jam ipse prædicabat : et nec lactans quidem adhuc erat, jam tamen laudans Dominum apparebat. Nec immerito sic commendatur antequam natus est : non immerito, inquam, divino magnificabatur oraculo, dum adhuc materno parvulus gestaretur in utero. Fidelis siquidem viri verbum quam veraciter sit prædictum, quam efficaciter adimpletum, ipsi nimirum hodie recolunt, qui in se ipsis experti latratuum ejus efficaciam et medicinalem linguæ gratiam certius cognoverunt. Et nunc, Domine, qui te diligit, canem tuum utique diligit. Utinam et ipse diligas, quem ille dilexit. In cujus eloquio evidenter probavimus esse completum, quod in laudem sponsæ persequitur in Cantico canticorum : *Sicut vitta coccinea labia tua, et eloquium tuum dulce* (Cantic. IV, 3). Paucis siquidem verbis fervor in colore coccineo, in vitta subtilitas et latitudo, sed et cogitationum cordis cohibitio, tanquam capillorum capitis colligatio, evidenter autem et expresse eloquii est commendata dulcedo. Cujus autem doctrina tam fervens, tam subtilis, tam copiosa, tam utilis, tam dulcis denique et acceptabilis fuit ? [2547]

17. Sed quid dicimus, quod in corpore toto candido dorsum visus est habuisse subrufum ? Candor enim castitas ; candor, innocentia vitæ ; candor corporis, puritas est actionis. Quid autem rubor est ? Nonne martyrium ? Quid si rufus

apparuisset, nonne martyr fuisset? Nam dorso portantur onera, dorsum ad flagella præbetur: et quamvis non timuerit cavere [*fort. currere*], quis plus currit in certamine, confessor ista sustinens, quam martyr ictum sufferens? Humano tamen arbitrio post bonos martyres sanctis confessoribus gloria in sæculo tribuitur. Cæterum, si meminimus, quanta tulit et pertulit hic Dei famulus, quam multa, quam gravia, non unius ictus mortificatione sed longa sui corporis maceratione sustinuit: non immerito forsitan, sicut beatum Laurentium Apostolorum supparem, sic Bernardum nostrum supparem martyrum dicimus, quem subrufum in matris utero apparuisse cognovimus. Felix, qui inter cœlestis sponsi membra, tam celeriter suo conformatus est Capiti, ut quemadmodum ille *candidus et rubicundus, electus prædicatur ex millibus* (Cantic. V, 10): sic iste suo utique modo candidus, et sine passione rubicundus, patientia tamen subrufus exstiterit. Oportet autem nos quoque imitatores ejus esse, sicut et ipse Christi. Nonne enim, etsi non aliis, nobis tamen apostolus est? Nonne signa apostolatus vos estis ante Deum? Nec vos pauci tantum, qui cum eo etiam nunc præsentialiter cohabitare videmini; sed qui in locis hodie tam innumeris sub umbra nominis ejus vivunt, inter gentes tam diversas, plerumque etiam barbaras et perversas. Utinam non degeneres vos præbeatis filios tanti Patris, sed

candidos in sanctimonia, subrufos in patientia, latrantes zelo Ordinis, fervore justitiæ, voce libera veritatis. Sicut enim eundem Patrem candor excellens totius suæ conversationis et vitæ, confessoribus sanctis et electis virginibus sociavit, dorsum quoque subrufum martyrum supparem fecit, apostolicum virum excellens doctrina probavit : sic ejusdem vox in utero tam ipsius desiderabili contubernio, quam sæculorum omnium consortio et beata visione donabit. Nimirum non eos solos, quos prædiximus, eundem Patrem, si mecum, fratres, in hac parte sentitis, aut quærere stupebitis, aut invenire sperabitis. Multas ille in domo Patris, ut a multis multum exoptatus advenit, mansiones sibi paratas [2548] invenit : nisi forte ambigimus, feliciter eum in prophetico cuneo esse susceptum, quem in tantis experimentis sæpe probavimus spiritum habuisse propheticum. Sed nec illud incredibile cuiquam videatur, sanctos etiam patriarchas, ut primum ille Vir Dei cœleste palatium et divinum introivit templum, gratanter ei suum non modo aperuisse sinum, sed annuisse consessum. Siquidem non indignum judicarunt in illo sacro numero sui senatus ascribi, in cujus semine tantas undique gentes vident, nec invident benedici.

18. Nostis etiam, dilectissimi, sanctos et summos sensisse doctores, electorum species hominum, pro diversis suorum qualitatibus meritorum, ad sacros provehi ordines Angelorum.

Dicuntur enim Angeli nuntii ; Archangeli et Principatus, summi nuntii ; quod per illos minora credantur, per istos summa quaedam et præcipua nuntiari. Nihilominus etiam in electis hominibus invenire est alios, qui licet minus eruditi parva capiant, fideliter tamen proximis quibus possunt, eadem ipsi annuntiant : alios, qui sublimiora quaedam percipiunt, et ea quoque sine invidia perfectis et capacioribus quibusque communicant. Et illi quidem hinc transeunt ad angelicum ordinem, obtinent isti inter Archangelos mansionem. Neutrum autem doctrinæ genus huic beatissimo Patri nostro defuisse cognovimus. Siquidem spiritualibus spiritualia comparans, sublimia proponebat : nec ineruditis tamen et parvulis condescendere renuebat. At illud in eo forsitan tunc exstitit mirabilius, et nunc sapit dulcius, quod videbatur humilius. Quoties enim et nos audire delectabat, et nunc meminisse delectat, quemadmodum iste homines rusticanos, et mulierculas pauperes ad congrua sibi humanitatis officia provocabat ? Nimirum docebat illos, cum vicino alteri suus, ut assolet, panis deficeret, hilariter ei, donec reddere posset commendare : alterum vicinum, cum sibi ille, alias forsitan occupatus, non præparaverat escas, cum charitate eum vocare ad olera ; magnanimitè ei legumina modica mittere, et exigua communicare pulmenta. Sic et legitimi fidem servare conjugii ; nec ingratos divino beneficio, metas transgredi

indulgentiæ salutaris. Terrenis etiam dominis stipendia ministrare terrena, et fideliter debita reddere illi, vel decimas sine fraude, [2549] qui justius poterat etiam novem partes, quam agricola sibi vel decimam vindicare. Ipse enim et terram condidit, et lacertos dedit, et vires contulit laboranti. Ipse etiam jactata semina gelu constringit, pluviis rigat, vernali fovet tepore, sole torret æstivo. Alioquin perdit, qui arat, laborem suum, nisi ille dederit incrementum. Sortilegos etiam et eorum sacrilega carmina studiose monebat oportere cavere: nec debere eos nocentes sibi, cum non possent gladiis, labiis insectari, nec fraudando invicem in magnam perniciem modica lucra sectari: sed illius meminisse, qui cum dives esset, propter nos factus est pauper, et quia ei derelictus est pauper.

19. Cæterum in parvis etiam referendis parvitas nostra deficiens, ad majora ejus insignia quando sufficeret? Itaque melius arbitramur hanc ei suarum laudum cedere portionem, ut spiritualis ejus doctrina, quoniam longe alia intentione scripsisse constat, ex litteris tamen propriis innotescat. Nam et lucerna cum ad hoc magis, ut cætera videantur, accensa fuerit, latere tamen ipsa non poterit. Nobis interim commemorasse sufficiat quod merito creditur in utroque cœlestium nuntiorum ordine constitutus, qui in utroque docendi genere fuerit tam fidelis, tam efficax, tam devotus. Sane per eos Spiritus, quos

Virtutes appellant, multiplicia aiunt edi signa : per Potestates, dæmonia coerceri. Quod si eisdem connumerantur ordinibus, qui eisdem pollent operibus : liquet profecto, quod a neutro etiam horum Bernardus noster excluditur, qui tam magnifice in utrisque miraculis enituisse cognoscitur. Inter Principatus et Dominationes illud forsitan interesse videtur, quod cum utrique credantur electis etiam præesse spiritibus, Principatus tamen velut ex officio cæteris facienda disponant, et tanquam strenui quidam divinorum exercituum duces in ipsa ejus operis executione præcedant. Porro dominationes gradu sublimiore illis etiam sibi obedientibus mira quadam potentia et auctoritate præeminent. Unde etiam inter homines ipsos credimus ad Principatuum ordinem pertinere, qui cæteris fratribus præsumunt in sollicitudine administrationis. Illos autem ad Dominationes, qui ipsam magis obedientiam obtinere promerentur speciali quadam reverentia sanctitatis : nimirum de ejusmodi dicitur, quod ipso jure munditiæ dii inter homines appellentur. Nec difficile est [2550] animadvertere, qualiter in hoc beato Patre nostro pariter hæc utraque conveniant. Siquidem et plurimis fratribus pastorem exhibuit sollicitudinem, et apud omnes pene ecclesias reverentiam et auctoritatem obtinuit singularem. Cui enim sic credebatur, sic deferebatur, sic obtemperabatur a Religiosis, a sæcularibus, a

principibus, a pontificibus? Sequuntur Throni, quos nimirum inde nomen accepisse cognovimus, quod in eis sedeat Deus. Et sane pulcherrima hæc dispositio. Siquidem omni dominatione sublimius est et gloriosius, subjacere Domino. Et quamvis, jam post casum ejus, cum suis utique complicibus, qui illi similis voluit apparere, cæteros etiam omnes ordines Angelorum certissime suo constet Auctori voluntaria devotione subesse: videntur tamen nonnihil habere proprium, in quibus dicitur residere.

20. Maxime tamen hoc observandum hominibus ut ipsi potissimum Deo subditi inveniantur, qui inter homines amplius honorantur. Alioquin væ eis, nisi omnem suum illi subjecerint dominatum, nisi suum omnem principatum substituerint Domino dominorum. Væ eis qui præeminere et præsidere videntur hominibus, nisi eis sedeat et præsideat Dominus, necessaria siquidem major humilitas, ubi fuerit major auctoritas. Quam nimirum in hoc ipso, de quo loquimur, Patre nostro, quanto profundior et purior probavimus, tanto amplius gratulamur, quod beata ejus anima, et in carne posita sedes fuerit sapientiæ, quam firma et stabilis, quam quieta et humilis, tantum etiam acceptabilis. Denique tanto etiam arbitramur, quod multo magis jam carne soluta inter illas cœlestes sedes meruerit apparere sublimis. Jam vero ubi humilitas ista præcesserit, non inflabit

scientia, sed implebit, præsertim si accesserit supereminens gratia charitatis. Sic nimirum locata videtur in tuto scientiæ plenitudo, si sustineat eam humilitas, foveat charitas. Unde etiam non immerito octavus et nonus ordo Cherubim et Seraphim appellantur, quibus nimirum nominibus in eisdem ordinibus scientiæ plenitudo et ardor sive incensio commendatur. Nam Cherubim quidem plenitudinem scientiæ, Seraphim autem ardentis, vel incendentes aiunt designare. Quod si credimus ad eundem ordinem pertinere eos, quibus inveniuntur eorundem interpretationes nominum convenire ; non nos oportet, nec super hoc quidem ordinibus summis atque supremis ambigere, quin beatus [2551] Pater et pastor noster locum habeat in utroque.

21. Nimirum quam plenus scientia fuerit, usque hodie sciunt qui de plenitudine ejus acceperunt. Quemadmodum autem, vel magis quam supra modum et amando arserit, et alios loquendo accenderit, vos potissimum meministis, qui sæpius experiendo probastis, ut vobiscum, ni fallor, tacita cogitatione dicatis : *Nonne cor nostrum ardens erat in via, dum loqueretur nobis ?* (Luc., XXIV, 32) Quoties ex hoc auditorio, et qui tepidus forsitan introivit, non mediocriter inflammatus exivit ? Ignitum ejus eloquium vehementer : et quis non illud diligeret ? quis non ad illud dilectione flagraret ? Felix proinde, qui sic in omnibus et inter omnes requiem invenit ; sic

Agnum sequitur quocumque ierit Felix qui sic multiplicium meritorum præmia recipit : ut multo magis nihil ei jam desit in ulla gloria, cui nihil in ulla gratia ante defuerit. Cæterum super his omnibus divisionibus gratiarum Fraternitatem vestram admoneo, dilectissimi, sic in ipso tanto, et tam pretioso thesauro gloriari, ita suæ electionis signa venerari, ut quæ ad nostram magis profuerint ædificationem, et necessaria fuerint ad salutem, æmulari studeamus ; magnifice in eo semper laudantes et glorificantes ejusdem salutis auctorem, indulgentiæ concessorem, gratiæ largitorem, gloriæ redditorem Jesum Christum Dominum nostrum, qui cum Patre et Spiritu sancto vivit super omnia Deus benedictus in sæcula. Amen.

*EJUSDEM GAUFRIDI EPISTOLA ad Albinum
cardinalem et episcopum Albanensem. de condemnatione
errorum Gilberti Porretani.*

Amantissimo patri et domino ALBINO, Dei gratia Albanensi episcopo, domini Papæ vicario, frater GAUFRIDUS de Clara-Valle, minimum id quod est.

1. Injunxerat vestra Paternitas venerabili fratri nostro et vestro speciali filio Augustino, [2552] ut de mandato vestro mihi imponeret, vobis per epistolam diligenter notum facere qualiter in Remensi concilio, quod dominus papa beatæ memoriæ Eugenius tertius celebravit, super quibusdam capitulis, in expositione Pictaviensis episcopi magistri Gilberti, cognomento Porretani, deprehensis, et reprehensis tractatum, quid et quemadmodum tandem fuerit judicatum. Unde vobis si tardius videor obedire, non miretur vestra Serenitas; quoniam ante vigiliam festivitatis Omnium Sanctorum verbum aliquod parvum vel grande super hoc non audivi. Eadem die stilum et tabulas apprehendens cœpi scribere, quod optarem vobis, si possem, celerius intimare.

2. Eodem igitur anno, quo prædictus pontifex Eugenius Romanæ Ecclesiæ cathedram sedens, non mediocrem primo statim auditu flagitiosis intulit metum, et honestis omnibus e regione fiduciam; magnus quidam vir et bonorum memoria dignus, Arnaldus nomine, et cognomine Qui-non-ridet, in ecclesia Pictaviensi sub

prædicto episcopo officium archidiaconale gerebat, non illius adeptus munere, sed ab ejus prædecessore promotus : difficile siquidem talis arbor fructum ejusmodi protulisset. Accidit autem ut ab eodem archidiacono, satis fideli pariter et diserto, super quibusdam capitulis fidei familiariter, ut credimus, ante commonitus, nec acquiescens, in ecclesia demum palam argueretur. Appellatum denique est ad Romanam Ecclesiam, et coram prænominato papa eadem quæstio ventilata : qui in Gallias descensurus, utramque partem sibi præcepit in solemnitate paschali Parisius præsentari. Adfuit beatissimus pater noster sanctus Bernardus cum eodem papa in eadem solemnitate Parisius : cui omne negotium Christi, ubicumque eum contigisset adesse, tanquam omnino proprium, nemine super hoc ambigente, protinus incumbebat. Facta est inquisitio secundum prædictum codicem expositionis super Boetium : ab eodem episcopo requisitum ad manus se non habere respondit. Inventa est tamen apud scholares particula quædam, ubi inter cætera continebantur hæc verba : « Si homo, cui diversa conferre ut sit, præ abundanti unius formæ, ut puta sapientiæ, sapientia dicitur ipsa, secundum illud : Tu quantus quantus nihil nisi sapientia es : multo magis Deus, cui diversa non [2553] conferre ut sit, dicitur esse sapientia sua, bonitas sua, et cætera. » In hunc modum producta est in medium hæc scriptura, et

disputabat sanctus Bernardus adversus episcopum, dicens grave verbum et enorme videri, quo dicebatur, diversa non conferre Deo ut sit, quasi conferat unum. Illam quoque similitudinem locutionis emphaticæ procul esse a Deo, nec sicut quilibet hominum sapientia sua dicitur, sed vere et substantive dicam esse sapientiam suam, essentiam suam, divinitatem suam, et non quemadmodum Davus dictus est scelus. Negabat autem episcopus docuisse, vel credidisse aliquando se, vel litteris commendasse, quod divinitas non esset Deus, quod forma vel essentia esset in Deo, quæ non esset Deus ; et amplius aliquid faciens, discipulos suos episcopum quemdam Ebroicensem generosum satis, Rothomagensem archiepiscopum post futurum, Rotoldum nomine, et magistrum Ivonem Carnotensem testes produxit, quod illud dogma non tenuerit, nec crediderit, invitus quidem, ut satis tunc animadvertimus, sed suorum stimulatione compulsus, propter verba tamen libelli sui quæ præmisimus. Et quia aliud alii asserebant, injunxit ei summus Pontifex, quatenus ante concilium, quod eodem anno in civitate Remorum celebrare proponebat, eundem sibi libellum transmitteret studiose scrutandum, et paratus esset in eodem concilio ad objecta plenius respondere.

3. Accidit autem, ut expositionem illam sæpe dictus dominus Eugenius, ab episcopo sibi

directam, venerabili cuidam abbati Præmonstratensi Godescalco de Monte-Sancti-Elegii, qui postmodum factus est Atrebatensis episcopus, traderet perscrutandam. Qui diligenter, utpote vir disertus, notavit capitula, et ex libris sanctorum catholicorum Patrum auctoritates paucas manifeste contrarias scripsit in schedula, quas ad idem concilium veniens, domino Papæ cum libello Pictaviensis episcopi præsentavit. Tulerat autem de medio Dominus anno ipso columnam grandem Ecclesiæ, domnum Albericum Ostiensem, cum omni reverentia memorandum, qui legatione functus in Aquitania, super vita pariter et doctrina illius Gilleberti tanta didicerat, ut ipse sibi aliter quam oportuerat conscius, ab ejusdem Ostiensis episcopi ferventissimo zelo præ cæteris ejusdem temporis cardinalibus trepidaret. Nec defuere qui crederent, quod si advixisset idem vir, Pictaviensis ille, quæ ausus est confiteri, præsentate eo [2554] nullatenus præsumpsisset. Ventum est ad discussionem capitulorum, quæ prædictus abbas Godescalcus notaverat : sed quia ipse nimis erat elinguis, liber ille cum sanctorum testimoniis ei contrariis a domino Papa traditus Patri nostro sancto Bernardo Claræ-Vallensi. Aderant viri magni nec mediocriter litterati, Gaufredus de Oratorio, Burdigalensis ecclesiæ archiepiscopus, cujus in Pictaviensi episcopus suffraganeus erat ; Milo Morinensis episcopus, religione et scientia

satis insignis ; Joslenus Suessionensis episcopus tam sæculari, quam litterali scientia præditus ; Sugerius abbas Sancti-Dionysii, cui Francorum rex Ludovicus, Jerosolymam proficiscens, totius regni commiserat administrationem. Hi et alii plures cum beato Bernardo prædicta capitula rationibus pariter et Scripturæ sacræ testimoniis arguebant : nisi quod prædictus Gaufridus minus cæteris loquebatur, de industria parcens homini, et iudicio se reservans, sicut humiliter est confessus, et pœnitentiam egit, audiens dominos cardinales, quorum principales fuisse reo, et evidenter etiam fovisse constabat, super auditis objectionibus sese promittere iudicaturos.

4. Ingredientibus vero nobis consistorium, prima die cum magnorum voluminum corpora per clericos suos Pictaviensis fecisset afferri, et nos paucas auctoritates Ecclesiæ in sola schedula haberemus : occasione accepta calumniabantur fautores illius hominis, quod decurtata testimonia proferremus, cum ille codices integros exhiberet ; ubi posset intelligi, quemadmodum verbis propositis præcedentia vel sequentia adhærent. Prolatum tamen capitulum de ejus codice in hæc verba : « Cum dicitur Deus, pertinet ad substantiam, non quæ est, sed qua est. » Quod dum alii atque alii clamantes auctorem arguerent, et adversus eum adhuc tergiversantem non immerito causarentur, sanctus Bernardus ad Episcopum ait : « Quid necesse est circa

hujusmodi verba diutius immorari ? Non aliunde procedit scandali hujus origo, nisi quod plures credere vos credunt, et docere, quod divina essentia vel natura, divinitas ejus, sapientia, bonitas, magnitudo, non est Deus, sed est forma, qua est Deus. Hoc si creditis, palam dicite, aut negate.» Ausus est dicere : « Forma Dei et divinitas, qua Deus est, ipsa non est Deus. » « Ecce, ait sanctus Bernardus, tenemus quod quærebamus : scribatur ista confessio. » [2555] Præcepit summus Pontifex ; et dominus Henricus Pisanus, tunc Romanæ Ecclesiæ subdiaconus, futurus postea Claræ-Vallensis monachus, et ex abbate Sancti-Anastasio sanctorum Nerei et Achillei presbyter cardinalis, ad ejus mandatum porrexit et attulit chartam, calamum et incaustum. Cum autem scriberet ipsam confessionem : « Et vos, ait Episcopus ad Abbatem, scribite, quod divinitas est Deus. » Nec concitatus ille respondit : « Scribatur, » inquit, « stilo ferreo in ungue adamantino, vel sculpatur in silice, quod divina essentia, forma, natura, deitas, bonitas, sapientia, virtus, potentia, magnitudo vere est Deus. »

5. Disputatum est deinde super eodem capitulo, et eousque processum est, ut diceret Sanctus, quod si forma illa Deus non est, melior Deo est, cum ex ea Deus habeat esse ; ipsa autem nec ab eo sit, nec ab eo habeat quidquam. Quod potissimum credidi memorandum propter eam

specialiter causam, quia disputatione completa ecclesiæ Remensis armarium mox ingressus, plures exinde tuli codices, et in libro beati Augustini de Trinitate inter alia plura testimonia eadem pene verba, quæ sanctus Bernardus objecerat, reperi in hunc modum : « Deus magnus est non nisi ea magnitudine, quæ est quod ipse : alioquin illa erit major magnitudo quam Deus. » Cæterum cum de primo capitulo prima die disputaretur, ego fui qui objeci eidem episcopo, audientibus universis, quod verba illa, quæ modo profitebatur, eodem anno Parisius coram domino Papa, et majori parte majorum quæ aderant personarum, penitus abnegasset, et testes produxisset quod talia nunquam crediderat, nunquam docuerat. At ille multum confidens, et amplius forsitan quam postea voluisset, quia negare non poterat se negasse : « Quidquid tunc dixerim, modo, » ait, « hoc dico. » Ego vero suspirans graviter, quod viderem coram tantis iudicibus paulo minus impune tanta præsumi : « Ergo sicut rex, inquam, vestrum dictum et deditum habetis ? »

6. Et factum est, ut disputantibus personis, quæ aderant, super primo capitulo prædicto, occurreret secundum, profitente prædicto episcopo, quod nec unus Deus, nec unum aliquid sint tres personæ, licet tres personæ sint unus Deus, id est, una divinitate ; et sint unum, id est, uno. Et adversus hoc capitulum diutius est

disputatum, postquam suggerente sancto [2556] Bernardo, et domino Papa præcipiente, ipsum etiam cum priore litteris est commendatum. Cui evidens satis opposita est auctoritas Athanasii in hæc verba : « Supernarum virtutum carmina unum tria, et tria unum esse confirmant. » Sequenti die codices tantos attulimus ad disputationem, ut obstupescerent fautores Episcopi, et a nobis audirent, quia ecce schedulas non habemus. Faciebat Episcopus in libris beati Hilarii, et de corpore canonum in quorundam Græcorum epistolis verba minus intelligibilia, præsertim in tanta festinatione, et in tanta ac tali multitudine lectitari : nec deerant qui pro eo se opponerent, licet parum intelligentes. Addita sunt eodem die capitula duo prioribus, et litteris pariter commendata, quod personales proprietates, et æternarum rerum multitudinem copiosam episcopus idem veraciter esse sine initio profiteretur, quarum tamen nulla Deus esset, nulla a Deo.

7. Quartum fuit capitulum, quod natura divina naturam non suscepit humanam, sed persona Filii naturam nostram suscepit, contra illud beati Gregorii : « Quia venit ad nos calceata divinitas humanitate : » Et beati Augustini in libro primo de Trinitate : « Ergo quia forma Dei accepit formam servi, utrumque Deus, et utrumque homo. » Item ejusdem super Evangelio Joannis, in Tractatu septuagesimo quinto :

« Semetipsum exinanivit, et homo, etc. Quis nisi idem ipse Christus Jesus? Sed hic jam sunt omnia; et Verbum in forma Dei, quæ accepit formam servi; et anima et caro in forma servi, quæ accepta est a forma Dei. » Et Leo papa: « Suscepit nos illa natura, quæ nec nostris sua, nec suis nostra consumeret. » Exinde postquam diutius disputatum est, sub eo tenore discessum est, ut dicerent domini cardinales, « Quia ecce audivimus quæ proposita sunt, deinceps judicabimus, qualiter debeant definiri. » Quod verbum eatenus movit corda multorum, ut sequenti die apud sanctum Bernardum convenirent archiepiscopi decem, episcoporum quoque et abbatum, ac magistrorum plurima multitudo. Et quia iudicium sibi soli videbantur reservasse, quos noverant fere omnes errantis potius quam erroris fautores; providere oportere, cum capitulis illis Gilleberti episcopi, suæ et fidei symbolum mitti, ut scirent plenius unde judicarent. Scripserunt ergo capitula totidem quam expressius potuere, illius verbis suam confessionem contrariam in [2557] omnibus et per omnia proponentes, quam de communi omnium convenientia non sine multa deliberatione dictatam iudicaturis facerent exhiberi. Nec tamen verebantur, ne contrarium aliquid judicarent: sed credebant, nonnullos eorum ad hoc tendere, ut sine aliqua definitione concilium solveretur. Propter quod eidem

scripturæ, quam novissimam vobis mittimus, subscripta sunt nomina singulorum qui aderant archiepiscoporum, episcoporum, abbatum et magistrorum, de consensu et convenientia universorum.

8. Et electæ sunt tres personæ, episcopi duo reverendissimi, Hugo Autissiodorensis, et Milo Morinensis, et Sugerius abbas Sancti-Dionysii, qui eandem scripturam domino Papæ et cardinalibus præsentarent, et dicerent eis : « Pro vestra reverentia sustinimus minus dignos acceptione sermones, donec tandem audivimus quod de eis judicare velletis. Offerimus ergo et nos vobis nostram confessionem, ut non de parte, sed de partibus judicetis. Tenetis confessionem hominis illius scriptam : convenit ut teneatis et nostram. Verumtamen ille vobis sub hoc tenore tradidit suam, ut paratus esset corrigere, si quid vobis aliud videretur : nos hujusmodi conditionem penitus excludentes, sic vobis nostram offerimus, ut noveritis quod in hoc sumus, in hoc perseverabimus, nihil penitus mutaturi. » Quibus sine cunctatione dominus Papa respondit, et universis qui miserant eos, renuntiare præcepit, quod ab eadem confessione eorum in nullo prorsus Romana Ecclesia dissentiret ; et si stare visi fuerant aliqui pro persona, sed non stabant aliquatenus pro doctrina. Inde fuit quod in insigni palatio, cui nomen est Thau, ecclesia universa conveniens, et interrogatus episcopus

Pictaviensis, capitulis singulis libere renuntiavit, hæc eadem verba locutus : « Si vos aliter creditis, et ego ; si aliter dicitis, et ego ; si aliter scribitis, et ego. » Ibidem dominus Papa auctoritate apostolica, de assensu totius ecclesiæ quæ convenerat, capitula ipsa damnavit, districte præcipiens ne eundem librum legere, vel transcribere, etiam sic reprobatum, quis auderet, nisi prius eum Romana Ecclesia correxisset. Cumque responderet Episcopus : « Ego corrigam ad arbitrium vestrum. » « Non vobis, ait, hæc correctio committetur. » [2558]

9. Erant et alia quæ in scholis suis dicebatur auditoribus suis frequenter idem episcopus tradidisse, licet nos dissimulemus ; pro multitudine tamen scholarium, qui testimonium perhibebant ab eo audivisse multoties, hæc coram omnibus scissæ et disceptæ fuerunt chartæ, quæ dicebantur ejus sententias continere : quin igne petito ad comburendum eas, dixerunt quidam sufficere si scinderentur. Quænam fuerint illa capitula, nec tum scire curavi, nec adhuc scio. De cætero super capitulis aliis, de quibus mandatum vestræ Dignationis accepi, diligenter considerans in libro Glossarum Psalterii, quas idem Gilbertus Porretanus composuit super versum, *Adorate scabellum pedum ejus* (Psal. XCVIII, 5), ita scriptum inveni : « Caro de terra est, et de carne Mariæ carnem accepit Christus. Hæc sine impietate adoratur a nobis, quia nemo carnem ejus

spiritualiter manducat, nisi prius adoret.» Huc usque verba sunt Augustini. Quibus continuo addidit Gillebertus declarationem, quod est additamentum eorum : « Non illa dico adoratione, quæ latria est, quæ soli Creatori debetur, sed illa, quæ in dulia dignior est. Dulia enim adoratio est, quæ etiam creaturæ exhibetur : quæ duas habet species, unam quæ hominibus indifferenter, alteram quæ soli humanitati Christi exhibetur. In libro etiam Glossarum ejus in Epistola sancti Pauli super illum locum, *Propter quod Deus exaltavit illum, et dedit illi nomen quod est super omne nomen* (Philipp. II, 9), ita est commentatus : « Quibusdam videtur hoc nomen datum homini : quod nulla ratione convenit. Hoc enim donum esse Filium Dei, hoc nomen esse Deum, quod non per solam appellationem, sed per naturam super omne nomen est, quod non post passionem suam, sed potius a Patre, a quo habet omnia, cum generaretur, accepit. Hoc ergo non homini datum ; nisi forte quis dicat, per adoptionem omne datum : sed adoptivo Deo non flectitur omne genu, nec est in gloria Dei Patris ; nam nato ex Deo hoc competit. Dicit tamen Apostolus : *Dedit illi nomen*, etc. Quod ideo dico, quia natus accepit ut per crucem manifestaretur, quod a Patre, dum generaretur, accepit.» Horum ergo capitulorum nihil ejusdem concilii tempore audieramus, nihil penitus noveramus.

10. Videntur autem his contraria hæc quæ [2559] sequuntur in scripturis beati Leonis papæ, quorum auctoritatem sacris canonibus confirmatam optime novit vestra Discretio. Dicit enim in Sermone paschali : « Non sic creatura in societatem sui Creatoris assumpta est, ut ille habitator, et illa esset habitaculum ; sed utrumque Deus de potentia suscipientis, uterque homo de humilitate suscepti. In utraque igitur natura idem est Dei Filius, et nihil est alterius naturæ, quod non sit utriusque. » Item : « In nullo dividentes visibilem ab invisibili, corporeum ab incorporeo, et Verbum in Christo hominem, et Christum adoremus in Verbo. » Et infra : « Utrumque fideliter credite, utrumque fideliter adorete, et in unitate Verbi et carnis non sit ulla divisio. » Idem in Sermone de Natali : « Ab illo tempore, quo Verbum caro factum est, nec Deum illum sine hoc quod homo est, nec hominem sine hoc liceat cogitare quod Deus est, cum nihil assumpto divinum, nihil assumpti deesset humanum. Nec enim divinis humana præjudicant, nec humana divinis : ipse est caro qui Verbum. » Idem ad Flavianum episcopum : « Sententia est Joannis apostoli et evangelistæ : *Qui solvit Jesum, ex Deo non est, et hic est antichristus.* (Joan. IV, 3) Quid autem est solvere Jesum, nisi humanam a Verbo separare naturam ? » Augustinus in Definitionibus ecclesiasticorum dogmatum : « Homousion Patri et homini adoratur ab Angelis et omni creatura,

sicut Pater et Spiritus sanctus ; non homo propter [al. præter] Deum, vel Christus cum Deo, sed homo in Deo, et in homine Deus. » Idem de Prædestinatione sanctorum : « Ille homo ut a Verbo in unitatem personæ assumptus Filius Dei unigenitus esset, unde hoc meruit ? Nam et ipsum Dominum gloriæ, in quantum homo factus est Dei Filius, prædestinatum didicimus in Apostolo. Prædestinata ista naturæ humanæ tanta, tam celsa et summa subvectio, ut quo attolleretur altius non haberet. » Hieronymus in Breviario Psalmorum, super *Adorate scabellum pedum ejus* : « Licet quidem assumptus sit homo, et ad comparisonem Dei omnis creatura scabellum pedum ejus est ; tamen hoc ipsum scabellum sociatum est Deo. Et de sedili suo videte quam rem audeam loqui : Ego ita adoro scabellum, sicut et thronum. Ego non intelligo aliud [2560] sedentem, et aliud scabellum, sed totum in Christo thronus est. Quomodo sit nescio, et tamen credo quod sit. Sufficit mihi scire quod scriptum est, quod credo : fideles dicimur, non rationales. »

11. Contra capitulum quartum, secundum quod præscripsimus, sentit Leo papa scribens ad Flavianum episcopum ita : « *Hoc, inquit Apostolus, sentite in vobis, etc. usque in gloria Patris* (Philipp. II, 5-11), assumpti non assumentis provectio est quod dicitur : Deus illum exaltat. Idem scientes, quod sempiterna Filii deitas nullo apud Patrem crevit augmento, prudenter

advertite, quod nec cui dictum est, *Terra es, et in terram ibis* (Gen. III, 19), eidem in Christo dicitur, *Sede a dextris meis* (Psal. CIX, 1).» Idem ad Constantinopolitanos : « Dicant adversarii veritatis, quando omnipotens Pater vel secundum quam naturam Filium super universa provexit, vel cui substantiæ cuncta subiecit ; deitas enim Verbi par in omnibus et consubstantialis est Patri : sed minor erat provehente qui crevit. In natura hominis accepit a Patre, quod in natura deitatis etiam ipse donavit. » Item ad Leonem Augustum, et ad Palæstinos : « Exaltationem qua *illum exaltavit Deus, et donavit illi nomen, quod est super omne nomen*, ad eam intelligimus pertinere formam, quæ ditanda erat tantæ glorificationis augmento. » Item : « Quidquid ergo accepit, in tempore secundum hominem accepit, cui quæ non habuit, conferuntur. Forma autem servi in gloria divinæ potestatis evecta est : nec interest, ex qua Christus substantia nominetur, vel adoretur. » Hieronymus in Breviario super Epistolam ad Philippenses : « Si ita assumptus homo humiliari dignatus est, divinitas, quæ se humiliare non potest, eum qui humiliatus fuerat, merito exaltavit. Sed et illi donatum est nomen, quod ante non habuit. Unde recte locus hic secundum humanam naturam intelligendus est. » Idem super *Dixit Dominus Domino meo* : « Istum locum Salvator, in Evangelio exposuit, dicens : *Si Christus est, inquit, Filius David. quomodo in spiritu vocat eum Dominum ?*

(Matth. XXII, 43) huic Domino, cui præcipitur ut sedeat? Deus enim non sedet - assumptione corporis sedet. Huic ergo præcipitur ut sedeat qui homo est, qui assumptus est. » Augustinus contra Maximum : [2561] « *Donavit illi nomen*, etc. Homini donavit ista, non Deo. Ac deinde in qua forma crucifixus est, ipsa exaltata est ; ipsi donatum est nomen quod est super omne nomen, homini Christo secundum carnem mortuo, resurgenti, ascendenti. Donatur enim nomen quod est super omne nomen. »

12. De cætero, ut epistola finem deinceps sortiatur, si placuerit vestræ Discretioni super prioribus capitulis quatuor plenius edoceri, in sermonibus beati Bernardi super Cantica canticorum diligentior de eisdem disputatio continetur. Optamus et oramus, ut bene semper in Domino valeat vestra Paternitas. Recommendamus vobis fratres nostros de Fossanova. De prosperitate vestra, et statu Ecclesiæ sanctæ certitudinem satis vellemus audire.

13. Vix perfecta erat epistola hæc ab eo, cui tradita fuerat ad scribendum, et ecce eadem hora voluntas Domini fuit, ut mihi occurreret quod volebam. Ab altero siquidem fratre, priusquam mihi præsens epistola redderetur, scriptura alia diu quæsita, jam penitus desperanti mihi exhibita est, quam super eisdem capitulis ante annos pene quadraginta edideram cum ipso symbolo, quod domino Papæ et Romanæ Ecclesiæ ex parte

decem archiepiscoporum, et omnium episcoporum pene, qui in illa adhuc die Remis inventi sunt cum abbatibus maximis atque plurimis, et magistris scholarum, et subscriptis nominibus singulorum, per superius memoratas personas fuerat præsentatum. Unde satis exultans, illam quoque scripturam adjiciens huic epistolæ, tanquam charissimo domino meo vobis utramque filiali devotione transmittito.

14. Audivi etiam, quod super damnatione Petri Abælardi Diligentia vestra desideret plenius nosse similiter veritatem, cujus libellos piæ memoriæ dominus Innocentius papa secundus in urbe Roma, et in ecclesia beati Petri incendio celebri concremavit, apostolica auctoritate hæreticum illum denuntians. Nam et ante plures annos venerabilis quidam cardinalis et legatus Romanæ Ecclesiæ, Cono nomine, regularis quondam canonicus ecclesiæ Sancti-Nicolai de Aruasia, Theologiam ejus, Suessione concilium celebrans, similiter concremaverat, ipsum Petrum præsentem arguens, et convictum de hæretica pravitate condemnans. Unde [2562] vestro si placuerit desiderio, per libellum de vita sancti Bernardi, et per ejus epistolas missas ad curiam satisfiet. Inveni tamen in Clara-Valle libellum cujusdam abbatis Nigrorum monachorum, quo errores ejusdem Petri notantur : quem et olim me vidisse recordor ; sed a multis annis, ut custodes librorum asserunt, studiose quæsitus primus

quaternio non potuit inveniri. Propter quod propositi nostri est in Franciam destinare ad monasterium, cujus abbas exstitit qui eundem librum composuit: et si recuperare potero, transcribi facere codicem totum, et mittere vobis. Credo enim quod vestræ inquisitioni sufficere debeat, ut cognoscatis, quæ, quemadmodum, quare sint condemnata.

*EJUSDEM GAUFRIDI LIBELLUS contra
capitula Gilberti pictaviensis episcopi.*

1. Quatuor quædam in his schedulis capitula, lector, invenes, quæ in magna nuper ecclesia propalata et reprobata sunt, tanquam manifestæ repugnantia veritati, nec cuilibet veritati, sed ei cujus injuriam dissimulare non licuit ; quod ea vel maxime fidei catholicæ obtineat fundamentum. Hi sunt panes absconditi, quos celebris ille magister, Porreta agnomine, nomine Gillebertus, suis non parvo tempore discipulis venditarat : nec paucos eorum furtivis inebriarat aquis, præsertim animos juveniles novitate gaudentes ; sine clave, quæ Christus est, in divinas paginas irruentes ; sine Spiritu, qui solus ea novit, scrutantes ipsa etiam alta Dei. Inter ejusmodi, nova dogmata celabantur ; sed in lucem aliquando prodire.

2. Horrebant Catholicorum aures profanam novitatem, et eo usque zelus prorupit, ut prædictus Gillebertus, jam tunc quidem Pictaviensis episcopus, in præsentia summi pontificis Eugenii tertii super his pulsaretur. Elegit autem [2563] negare omnia, etiam quæ Pictavis in synodo sua manifeste arguebatur fuisse confessus. Inter negandum tamen anfractuosis quibusdam, more suo, verborum cavillationibus utebatur : ut facile Vir apostolicus animadverteret, prorsus aliquid apud eum de anathemate Jericho latitare.

3. Itaque eodem anno descensurus in Galliam, causam distulit; et Parisius facta est secunda interrogatio de eodem. Agebant quidam pro eo, quidam pro fidei veritate, maxime Claræ-Vallis reverendissimus Abbas: sed cautius forte videbitur simplici narratione contentum, quod ad personas pertinet, silentio præterire. Ibi quoque et objecta negavit, et testes protulit suos olim discipulos, tunc coepiscopos, quod nihil tale aliquando docuisset. Scripserat autem librum super tractatum Boetii de Trinitate satis commentitie commentatus, ubi copiose quidem præfatos errores disseminarat: pluribus tamen locis, sinuosis quibusdam voluminibus caput contegens serpentinum. Postulatus hunc librum, ad manum se habere negabat: nec facile erat, præsertim ob discussionem a suis eum discipulis obtinere. Prolatæ sunt tamen particulæ quædam: sed, ut poterat, etiam manifesta capitula detorquebat, non parvis in hoc patrociniis utens: demum jussus est summo Pontifici integrum mittere corpus libri.

4. Factaque est inquisitio tertia in urbe Remorum, ubi prædictus papa magnum eodem anno concilium celebravit, congregatis quatuor regnorum episcopis, Galliæ, Germaniæ, Angliæ et Hispaniæ: ubi jam dissimulandi facultas non fuit, cum ex propriis litteris evidentius argueretur. Sed et ipse, paratis sibi patrociniis, factus videtur audacior, ut ex hoc dedignaretur amplius diffiteri,

quod tanto tempore docuisset. Itaque quidquid semel et secundo coram tanto iudice et testibus tantis negaverat, impudenti temeritate professus, hoc tamen addere cautus fuit, paratum sese ecclesiastico sensui postponere suum, nec contumaciter velle in eo persistere quod dixisset.

5. Disceptatum est aliquantis diebus, quod ibi quoque, etsi pauci admodum pro doctrina illa starent, sed plurimi pro persona, satagentes excusare et extenuare etiam quæ non probabant. Unde et coactus est zelus Ecclesiæ cisalpinæ, secundum prædicti Claræ-Vallis Abbatis sanam doctrinam, adversus eadem capitula fidei suæ Symbolum edere, quam [2564] expressius potuit, obvians his quæ dicebantur ab illo. Demum et a summo Pontifice abjudicatis omnibus, timens ille ac pavens, in communi audientia, ore proprio, his, quæ professus fuerat, abrenuntiavit, et singula quæque refutans, promisit sese nihil tale deinceps aut scripturum, aut dicturum, aut etiam crediturum. Porro volumen illud, in quo manifesta esset inventa iniquitas, lectitari de cætero aut transcribi, sub excommunicationis pœna summus Pontifex apostolica auctoritate prohibuit, nisi forte Romana Ecclesia purgatum illud ederet et correctum: quod quidem nec factum audivimus, nec speramus aliquando faciendum. Quia tamen multorum adhuc scholarium corda videntur eum quo semel imbuta sunt servare odorem; nec destiterunt, eo utique

perniciosius sibi, quo occultius, interdictas paginas lectitare : erit forsitan non inutile, si ad correctionem præsentium, et futurorum cautelam, et ipsa pariter confutari erroris capitula, quemadmodum auctor eorum suo illa ore professus, suo deprehensus est inscripsisse libello ; et sanctorum testimonia Patrum, quibus confutata sunt, aut confutari posse videntur, in medium proferamus.

DE CAPITULO PRIMO.

6. Initium malorum hoc erat. Forma ponebatur in Deo, qua Deus esset, et quæ non esset Deus : ut humanitas hominis forma est, non quæ sit, sed qua sit homo. Hanc vero formam sive naturam divinam, quam, ut diximus, Deum esse negabat, diversis appellari nominibus ; divinitatem, magnitudinem, bonitatem, veritatem, sapientiam, omnipotentiam, qua videlicet una forma, non modo Deus, sed et magnus, et verus esset, et bonus, et sapiens, et quæque similia : eo nempe Creatorem a creaturis differre contendens, quod illæ quidem formis subsisterent pluribus, ipse una. Unde et ejusmodi enuntiationes : Divinitas est Deus, sapientia, veritas, magnitudo, bonitas, vel omnipotentia Dei est Deus ipse ; si de simplicissima illa excellentissimaque natura sermo fieret, falsas esse omnino, tam impie, quam libere ausus est profiteri. Porro conversas earum : Deus est veritas, Deus est sapientia, cæterasque

ejusmodi, emphaticas esse tradebat, ac si de homine diceretur, Tu quantus quantus, totus sapientia es : eo sane propriam magis in Deo [2565] figuram expressionis assignans, quod in homine quidem, cui multæ sint proprietates, abundantia formæ unius, ut puta sapientiæ : in Deo autem singularitas ipsa veram faceret hujusmodi enuntiationem. Et Dei quidem esse in eo constituebat, ut hac forma subsisteret ; formæ autem ipsius in eo magis, ut non hæc aliquo, sed hac esset aliquid, id est, Deus. De quo quidem capitulo super Tractatum Boetii, imo potius contra, non exponens Boetium, sed Boetio se opponens, scripserat in hunc modum : « Sicut non est, quo Deus sit, nisi sola atque simplex essentia, id est οὐσία ; sic non est unde οὐσία ipsa sit, nisi quoniam ea simplex et solus Deus est. Unde etiam usus loquendi est, ut de Deo dicatur, non modo, Deus est, verum etiam Deus est ipsa essentia. Recte utique. Si enim qui non modo sapiens, sed etiam coloratus, et magnus, et multa hujusmodi est, ex sapientiæ præ cæteris abundantia dicitur, Tu quantus quantus, totus es sapientia : tanquam nihil aliud sit, quod sibi esse conferat, nisi sola sapientia. Multo proprius Deus, cui diversa non conferunt ut sit, dicitur ipsa essentia, et aliis nominibus. » Idem : « Ut Deus est ipsa divinitas sua, ipsa sua sapientia.

7. « Divinitas in Patre dicitur esse, sicut essentia in eo qui vere est.

8. « Aliqui parvuli sensu audientes quod Deus est simplex, ipsum et quæcumque de eo nominum diversitate dicuntur, ut Deus, unus, æternus, persona, principium, auctor, Pater, Filius, connexio et hujusmodi alia ejusdem naturæ ejusdemque rationis, esse ita accipiunt, ut essentia, quæ dicitur Deus, sit et unitas qua unus est, et æternitas qua æternus est, et similiter cætera, et e converso : ipse etiam Pater sit paternitas, et unus unitas, et æternus æternitas, et conversim.

9. « Quæro, an Pater et Filius et Spiritus sanctus prædicentur substantialiter de divinitate, id est, de illis qui quoniam sola divinitate sunt id quod sunt, non modo Deus, verum etiam divinitas appellantur.

10. « Pater veritas, id est, verus : item Filius veritas, id est, verus : Spiritus sanctus veritas, id est, verus ; et collectim Pater, Filius, et Spiritus sanctus non sunt tres veritates, sed sunt una singulariter et simpliciter veritas, id est, unus verus. [2566]

11. « Qui homo est, ut Plato, vel Cicero, vel Tripho ; vel, qui Deus est, ut Pater, vel Filius, vel Spiritus sanctus ; quod dicitur illorum quilibet esse homo, et istorum quilibet esse Deus, refertur ad substantiam, non quæ est, sed qua est.

12. « Cum dicitur Deus, Deus, Deus ; primum de Patre, secundum de Filio, tertium de Spiritu sancto, eorum quidem, qui sunt Deus

numeratio facta est : ejus vero, qua sunt Deus, repetitio. »

13. Jam si expositorem audivimus, ne forte sit infidelis, ipsum consulamus auctorem. Formam quippe nominat, sed quid velit intelligi, manifestius exprimit, dicens : « Divina substantia sine materia forma est atque ideo unum est : et est id quod est, reliqua enim non sunt id quod sunt. Unum quodque enim habet esse suum ex his, ex quibus est, id est ex partibus suis : et est hoc atque hoc, id est, partes suæ conjunctæ ; sed non hoc vel hoc singulariter. Ut cum homo terrenus constet ex anima corporeque, corpus et anima est ; non vel corpus, vel solum anima. In parte igitur non est id quod est. Quod vero non est hoc atque hoc, sed tantum hoc est ; illud vere est id quod est : et est pulcherrimum, fortissimumque, quia nullo nititur. Quocirca hoc vere unum est, in quo nullus numerus, nullum in eo aliud, præterquam id quod est. Neque enim subjectum fieri potest. Forma enim est, formæ vero subjectæ esse non possunt. Nam quod cæteræ formæ subjectæ accidentibus sint, ut humanitas non ita accidentia suscipit eo quod ipsa est, sed quod materia ei subjecta est. Dum enim materia subjecta humanitati suscipit quodlibet accidens, ipsa hoc suscipere videtur humanitas : forma vero, quæ est sine materia, non potest esse subjectum, nec vere inesse materiæ.

14. «Hoc igitur unum quod solum est id quod est, hoc pulcherrimum fortissimumque quod nullo nititur; in quo nullum aliud præterquam id quod est, quod subjectum fieri non potest; forma enim est: quis sanum sapiens Deum esse negaverit? alioquin si Deo diversa non conferunt ut sit, Divinitas autem nullo nititur, ne uno quidem; eligat quisque quod judicaverit præferendum.» Sane in iudicio si forsitan hæsitaverit, consulat [2567] Augustinum. Ait enim: Deus non ea magnitudine magnus est, quæ non est quod ipse, ut quasi particeps ejus sit Deus cum magnus est. Alioquin illa erit major magnitudo quam Deus.» Sed quid prætergredimur viam? ad Boetium revertamur. «Catholicis vero nihil [*al. deest* nihil] in differentia constituentibus, ipsamque formam, ut est, esse ponentibus, neque aliud esse, quam est ipsum quod est opinantibus, recte repetitio de eodem, quam enumeratio diversi videtur esse cum dicitur, Deus Pater, Deus Filius, Deus Spiritus sanctus. Vides certe non esse catholicum, qui in Deo aliud quidem esse formam qua est, aliud vero quod est opinatur. De forma enim superius monstratum est, quoniam is sit forma, et unum vere, nec ulla pluralitas.

15. «Quæso te, vide quam id sancte atque inviolabiliter probes, quod boni summi summum Deum diximus esse plenissimum. Quonam, inquam, modo? Ne hunc rerum omnium Patrem

illud summum bonum, quo plenus esse perhibetur, vel extrinsecus accepisse, vel ita naturaliter habere præsumas, quasi habentis Dei, habitæque beatitudinis diversam cogites esse substantiam. Nam si extrinsecus acceptum putes, præstantius id quod dederit eo quod acceperit existimare possis. Sed hunc esse rerum omnium præcellentissimum dignissime confitemur. Quod si natura quidem idem est, sed ratione diversum ; cum de rerum principe loquamur Deo, fingat qui potest, quis hæc diversa conjunxerit. Nullo modo quæ sunt summa bona, eo possunt esse diversa. Atqui et beatitudinem, et Deum, summum bonum esse collegimus : quare ipsam necesse est summam esse beatitudinem, quæ sit summa divinitas.

16. « Ergo, et inter summam beatitudinem, quæ est summa divinitas, demum discernere cura : et si placet, edissere nobis, quod et duobus sit summum bonum, cum summa bona a se diversa esse non possint. Durum enim videtur asserere, summam bonitatem, qua bona sunt omnia, etiam ipse Deus, aliquid esse non bonum : sed ne hoc quidem facile admittendum puto, inter bona media aut infima bonitatem hanc numerari. » Sed consulatur et unicus ille omnium malleus [2568] hæreticorum, an vel istam blasphemiam præterire videatur intactam : ubi et illud simul attende, non novam esse, sed olim

tritam et ventilatam, imo et contritam et eventilatam iterum pullulasse.

17. « Nunc tene, » inquit, « inconcussa fide, Patrem et Filium et Spiritum sanctum esse Trinitatem, et tamen unum Deum ; non quod sit eorum communis quasi quarta divinitas, sed quod sit ipsa ineffabilis et inseparabilis Trinitas. Divinitas Trinitatis, quæ putatur alia esse quam sit ipsa Trinitas, et propter hanc dici non tres deos, sed unum, quod ipsa una sit in tribus, aut substantia est, aut non est substantia. » Augustinus est qui loquitur, et tuam nobis tam diligenter explicat novitatem. Responde quid sentias, utrum substantia sit, an non, tua hæc divinitas, cujus sola unitate tres personas dici asseris unum Deum. Quid obmutescis ? Ille partem utramque prosequitur, utrinque persequitur fugitantem.

18. « Si, » inquit, « substantia est, et alia quam Pater, aut Filius, aut Spiritus sanctus, vel ipsa simul Trinitas, procul dubio alia substantia est. Hoc autem veritas repellit et respuit. Item si non est substantia ista divinitas, et secundum hanc Trinitas unus Deus, quod hæc una sit in tribus, non debuit dici Pater et Filius et Spiritus sanctus unius substantiæ, sed unius divinitatis, quæ non est substantia. Agnoscis autem in fide catholica, quia hoc verum, hoc firmatum est, quod Pater et Filius et Spiritus sanctus, cum sit Trinitas, unus Deus est : quia inseparabiliter sunt unius

eiusdemque substantiæ, vel, si melius dicitur, essentiæ. Nonnulli enim nostrorum, et maxime Græci, Trinitatem, quæ Deus est, magis essentiam unam, quam unam substantiam esse dixerunt, aliquid inter hæc duo nomina arbitranter, vel intelligentes ; unde nunc disputare non opus est. Quod si divinitatem istam, quæ aliud existimatur esse quam sit ipsa Trinitas, non substantiam, sed essentiam dixerimus, eadem falsitas consequetur. Si enim alia est, quam ipsa Trinitas, altera erit essentia : quod absit ut Catholicus sentiat. Restat itaque ut credamus, unius esse substantiæ Trinitatem, ut ipsa essentia non sit aliud quam ipsa Trinitas. » [2569]

19. Quid evidentius dici potuit ? adhuc tamen eundem Augustinum audiamus. « Omnis substantia quæ Deus non est, creatura est ; et quæ creatura non est, Deus est. Quid ergo de ea facimus, non quæ est, sed qua est Deus ? » Idem : « In Dei quippe forma, sicut non est aliud Filius, aliud vita ejus, sed ipsa vita Filius est : ita non est aliud Filius, aliud doctrina ejus ; sed ipsa doctrina ejus Filius est. Aliæ quæ dicuntur essentiæ sive substantiæ capiunt accidentia, quibus fiat in eis vel magna, vel quantacumque mutatio : Deo autem aliquid melius excogitari non potest : et ideo sola est incommutabilis substantia, vel essentia, quæ Deus est ; cui profecto ipsum esse, unde essentia nominata est, maxime ac verissime competit. « Hæc Augustinus. Te vero, quisquis

adhuc porros esuris et cepas Ægyptiorum, fateri velim, quænam magis proprie dicatur essentia, quæ est, aut qua est Deus. Utraque enim incommutabilis est, et forte magis ei competit nomen essentiæ, qua est quidquid est.

20. Idem Augustinus : « Ipsa enim natura vel essentia, vel quolibet alio nomine appellandum est, id ipsum quod est Deus, quidquid illud est, corporaliter videri non potest. » Item : « Sicut absurdum est dicere, candidum non esse candorem, sic absurdum est dicere sapientem non esse sapientiam ; et sicut candor ad se ipsum candidus dicitur, ita et sapientia ad se ipsam dicitur sapiens. Sed candor corporis non est essentia, quoniam ipsum corpus essentia est, et illa ejus qualitas : unde et ab ea dicitur candidum corpus, cui non est hoc ipsum esse, quod candidum esse. Aliud enim ibi forma, et aliud color : et utrumque non in se ipso, sed in aliqua mole, quæ moles, nec forma, nec color est, sed formata et colorata. Sapientia vero et sapiens est, et se ipsa sapiens est. » Item : « Res vero mutabiles, neque simplices proprie dicuntur substantiæ. Deus autem si subsistit, ut substantia proprie dici possit, in eo inest aliquid tanquam in subjecto, et non est simplex, cui hoc sit esse, quod illi est quidquid aliud de illo ad illum dicitur ; sicut magnus, bonus, et si quid ejusmodi de Deo non incongrue dicitur. Nefas est autem ergo dicere, ut subsistat et subsit Deus [2570]

bonitati suæ : atque illa bonitas non substantia sit, vel potius essentia ejus ; neque ipse Deus sit bonitas sua, sed in eo sit, tanquam in subjecto.

21. « Tres personas ejusdem essentiæ, vel tres personas unam essentiam dicimus : tres autem personas ex eadem essentia non dicimus ; quasi aliud ibi sit quod essentia est, aliud quod persona. » Item : « Est igitur natura non facta, quæ fecit omnes magnas parvasque naturas, eis, quas fecit, sine dubitatione præstantior : ac per hoc, etiam de qua loquimur, rationabili et intellectuali, quæ hominis mens est. Illa autem cæteris natura præstantior, Deus est. » Forsitan dixisse debuerat, Illa cæteris præstantiore Deus est. Quid tamen magnum Deo ea esse, qua est quidquid est ? Item : « Per veritatem, quæ intellecta conspicitur ; et per bonum summum, a quo est omne bonum ; et per justitiam propter quam diligitur animus justus ab animo etiam nondum justo ; ut natura non solum incorporalis, verum etiam immutabilis, quod est Deus, quantum potest, intelligeretur, admonui. » Item : « Quæ vita dicitur in Deo, ipsa est essentia ejus atque natura, Non itaque vivit, nisi vita, quod ipse sibi est. » Quid tibi videtur ? huicne credendum est, singulari utique Magistro catholicæ fidei, et expugnatori universæ hæreticæ pravitatis, dicenti : « Natura immutabilis, quod est Deus, et vita, quod ipse sibi est : » an magis ei qui dicit, « non,

Quæ est ; sed, Qua est ? » Sed iterum atque iterum quid Augustinus sentiat audiamus.

22. « Quid factum est in corde tuo, cum dicerem, Deus ? Magna et summa quædam substantia cogitata est, quæ transcendit omnem mutabilem creaturam. » Item : « Diximus, ut potuimus, non temporaliter scire Filium, nec aliud esse Filii scientiam, aliud ipsum Filium ; et aliud esse Filii visionem, aliud ipsum Filium : sed ipsam visionem esse Filium, et ipsam scientiam vel sapientiam Patris esse Filium. Deo non alia est substantia ut sit, et alia potestas ut possit ; sed consubstantialia illi est, quidquid ejus est ; et quidquid ejus est, Deus est. » Item : « Legitur quidem, *Et spiritus sapientiæ multiplex*, sed recte dicitur etiam *simplex*. *Multiplex* enim, quia [2571] multa sunt quæ habet ; *simplex* autem, quia non aliud quam quod habet, est. Sicut dictus est Filius habere vitam in semetipso (Joan. V, 26), et eadem vita ipse est. Quid te voluit aliud Scriptura docere, nisi ut dum legeres esse Deum, et quæ in Deo sunt, non naturam intelligas esse compositam ; sed secundum compositam intelligas incompositam ? » Item : « Nunc veniamus ad ea quæ Deus habere dicitur, quæ non possunt non haberi, quæ habere dicuntur, ut ait Apostolus ; ita et quæ in Deo sunt nemo novit, nisi Spiritus qui in ipso est (I Cor. II, 11). Quæ sunt ergo in Deo pariter requiramus. Nonne sapientia, virtus, lux, providentia, vita, splendor, imago, immortalitas,

de qua scribitur : *Qui solus habet immortalitatem ?* (I Tim. VI, 16) Habet enim universa quæ diximus ; quæ omnia Filius est. Quod autem substantialiter bonum est, non potest extraneæ capax esse bonitatis, cum ipsum tribuat cæteris bonitatem. » Item : « Spiritus sanctus non accipiens aliunde sapientiam dictus est spiritus sapientiæ. Hoc enim ipsum quod subsistit, Spiritus sapientiæ est, et natura ejus nihil est aliud, nisi Spiritus veritatis. Una quippe veritas unius Dei, imo una veritas unus Deus, non permittit servitium atque culturam veri Dei, creaturæque conjungi. Deus solus, quia æternus est, hoc est, quia exordium non habet, essentiæ nomen vere tenet. » Idem : « Deus autem habet essentiæ, habet sapientiam, sed quod habet, hoc est, et omnia unus est.

23. Deus hoc est quod habet : habet enim æternitatem ; et ipse est æternitas. Hoc quoque sciendum est, quod omnis substantia, quæ Deus non est, creatura est : et quæ creatura non est, Deus est. » Item : « Eadem ibi sapientia quæ essentia, eadem potentia quæ essentia : eadem vita quæ essentia : et hæc omnia unum et unus Deus.

24. « Pati non potest, nisi passibilis creataque substantia : quæ quoniam a summa essentia, quæ Deus est, ut existeret, vocata de nihilo est, inter illud de quo facta est, et a quo facta est, media ; ita superioribus affici potest, ut proficiat, sicut inferioribus ut deficiat.

25. « Est præterea tertius hic error, ut cum unius substantiæ Pater et Filius esse dicatur, significari existimetur substantia prior, quam [2572] inter se duo pares habeant, ac si tres res sermo significet substantiam unam, et duos unius substantiæ velut coheredes » Idem : « Per Moysen Seth animæ similitudo est : per Joannem Filius Patri æqualis est : et quærimus tertium nescio quid inter Patrem et Filium quod natura non recipit. » Idem : « Deus autem immensæ virtutis vivens potestas, quæ nusquam non adsit, nec desit usquam, se omnem per sua edocet ; et sua non aliud quam se esse significat, ut ubi sua insint, ipse esse intelligatur : non autem corporaliter : ut cum alicubi sit, non etiam ubique esse credatur ; cum per sua in omnibus esse non desinat : non aliud autem sint, quam quod est ipse, quæ sua sunt. « Hæc interim de primo capitulo sufficere videntur.

DE CAPITULO SECUNDO.

26. Secundum autem simile est huic, quod evidenter ex Arii fonte procedens, non unam tantum, quæ Deus sit, asserit esse substantiam. Duo siquidem nomine tradit substantiæ designari, videlicet, Quod est, et quo est, essens, atque essentiam : sicut album et albedinem interdum significare dicitur, et rem albam. Id ergo quo est, unum esse in Trinitate consentit, formam illam scilicet et naturam deificam, matremque, ut ita

dixerim, Trinitatis. Porro quod hac essentia est, non unum, in Trinitate esse contendit, sed tria singularia quædam, tres res numerabiles, unitatibus tribus; quarum prima sit Pater, secunda Filius, tertia Spiritus sanctus: idque miraculi docet in beata illa Trinitate credendum, et in eo fidei meritum omne constituit, ut formam numero unam in rebus esse pluribus fateatur. Illius nimirum unitas formæ sola in causa est, ne plures dicantur dii, quibus divinitas est una communis. Sic nimirum tres etiam homines, si fieri ullo modo posset, ut una in eis humanitas, aut eadem inveniretur albedo, dico autem, una et eadem numero; non jam tres albi, neque tres homines dicerentur esse, sed unus. Hoccine totum illud ineffabile sacramentum, hæc Trinitatis et unitatis ratio tota? vides monstruosam, quæ nobis pingitur, imaginem Trinitatis: vides, quod fingitur, non plane miraculum, sed ridiculum. Producentur ex una radice tres [2573] rami; uni quodammodo capiti tria corpora subnectuntur. « Una est, inquit, essentia, sed qua sunt, non quæ sunt. » Et qui dixit, *Ego et Pater unum sumus* (Joan. X, 30), Uno sumus, dixisse debuerat. Neque enim est unum aliquid, quod et Pater sit et Filius et Spiritus sanctus. « Alioquin et Filius, inquit, Pater esset, et Pater Filius, et Spiritus eorum uterque. » Nimirum sic ruit qui irruit; sic percutit qui non videt. Quidni scrutator majestatis opprimeretur a gloria? Hinc illæ erant, non minus ridiculæ, quam

sacrilegæ interrogationes. Cum enim sic enuntiaret quis, Deus est Pater, Deus est Filius, Deus est Spiritus sanctus, nihil horum concedens simpliciter, de quo diceret, percunctabatur. Plane diligens inquisitor : « Si dicis de Patre, aiebat, Deus est Pater, et hoc sit dicere, Pater est Pater, verum dicis : alioquin verum esse non potest. Sic de Filio, sic de Spiritu sancto. Nulla enim res est, nulla substantia, nihil unum, unde vere dici possit : Deus est Pater, Deus est Filius, Deus est Spiritus sanctus. » Unde et conjunctum, Unus Deus est Pater et Filius et Spiritus sanctus, ne Sabellianus esset, imo ne esse desisteret Arianus, negabat. Invertebat autem quas poterat enuntiationes, ut verba convertens, sententiam quoque perverteret ipsam. « Pater et Filius et Spiritus sanctus unum sunt, vel unus Deus, vel una substantia. Nihil horum, » ait, « unquam negaverim. Sed cur hoc ? Quia uno sunt, una essentia, una divinitate. Si quis autem sic pronuntiet : Deus est Pater et Filius et Spiritus sanctus, personas prædicans : Hanc, inquit, plane nego. »

27. Sic Pictavis in sede magni Hilarii, congregata ecclesia, dogmatizavit, qui synodo præsidebat : sic in auribus Romanæ Ecclesiæ, et multitudinis episcoporum, quos ad Remense consilium apostolica convocaverat auctoritas, heu ! inter catholicos profitenti non defuere fautores ; quem tamen Viterbi, atque Parisius

interrogatum similiter, non simpliciter respondisse constabat. Sic usque hodie infelices paginæ continent, e quibus ista proferimus.

28. « Sabelliani, cum audiunt unius substantiæ tres esse personas, et propter eam, quæ ex illarum proprietatibus est, diversitatem, aut æqualitatem, aut cooperationem, aut coæternitatem, aut processionem [2574] ostendendam, inductas esse similitudines legunt, scilicet, vel unius animæ mentem, notitiam, amorem ; vel unius mentis memoriam, intelligentiam, voluntatem ; vel unius radii splendorem, et calorem, et hujusmodi alias : putant quod sicut unus solus est radius, de quo dicuntur splendor et calor ; aut una sola est mens, de qua et memoria, et intelligentia, et voluntas ; ita unus solus subsistens sit, qui natura cum sit Deus, idem ipse personalibus proprietatibus sit Pater, et Filius, et Spiritus sanctus. Quos hic error patenter ostendit ignorare hujus nominis, quod est substantia, multiplicem usum, videlicet, et quod est, et quo est, hoc nomine designari. Ne quis Sabellianus secutus ex multivoci, quod est ensis, mucro, gladius, aut univoci, quod est sol, sol, sol, comparisonibus, quibus et quod est, et quo est, id est et subsistens et subsistentia, iterata significatione repetitur, in eo quod de Patre et Filio et ipsorum Spiritu prædicatur. » Hæc de commentario sumpta sunt : de cætero Boetius ipse loquatur, ut is potissimum fraudis impiæ commenta dissolvat.

29. « Relatio non faciet alteritatem rerum, de qua dicitur, sed, si dici potest, personarum. Quod eisdem fere verbis beatus Augustinus docuerat : Confiteantur, inquit, Ariani nobiscum, in una divinitatis natura pluralitatem personarum magis quam rerum esse. » Item Boetius : « Nam idem Pater, qui Filius, non est ; nec idem uterque qui Spiritus sanctus. Idem tamen Deus est Pater, et Filius, et Spiritus sanctus : idem justus, idem bonus, idem magnus, idem omnia quæ secundum se poterunt prædicari. Sane sciendum est, non semper talem esse prædicationem relativam, ut semper ad differens prædicetur ; ut est servus ad dominum, differunt enim. Nam omne æquale, æquali æquale est ; et simile, simili simile est ; et idem ei, quod est idem, idem est. Et similis est in Trinitate relatio Patris ad Filium, et utriusque ad Spiritum sanctum ; ut ejus, quod est idem, ad id quod est idem. Quod si id in cunctis aliis rebus non potest inveniri, facit hoc cognata caducis rebus alteritas. »

30. Idem : « Quæro an Pater et Filius et Spiritus sanctus de divinitate substantialiter prædicentur, an alio quolibet modo. » Et post [2575] pauca : « Ex his igitur intelligimus, Patrem, Filium, ac Spiritum sanctum non de ipsa divinitate substantialiter dici, sed alio quodam modo. »

31. Augustinus. « Credimus unum Deum esse Patrem et Filium et Spiritum sanctum. » Jam forte

parat invertere cavillator : sed audiat quid sequatur. « Patrem vero, eo quod habeat Filium ; Filium, eo quod habeat Patrem ; Spiritum sanctum, eo quod sit ex Patre et Filio. » Hæc nimirum adjectio, si quis prudenter advertat, prorsus vetat inverti ; et non nisi de uno Deo patitur esse sermonem.

32. Augustinus : « Consequenter intelligitur, non tantum de Patre dixisse apostolum Paulum, *Qui solus habet immortalitatem* ; sed de uno et solo Deo, quod est ipsa Trinitas. » Item : « *Beatus et solus potens, Rex regum, et Dominus dominantium* (I Tim. VI, 16, 15) ; quod est unus, et solus, et verus Deus, ipsa Trinitas. Recte ergo ipse Deus Trinitas intelligitur *beatus et solus potens*. » Idem : « Loquendi causa de ineffabilibus ut fari aliquo modo possemus, quod effari nullo modo possumus, dictum est a Græcis, una essentia, tres substantiæ ; a latinis autem, una essentia, vel substantia, tres personæ : quia in latino non aliter essentia, quam substantia solet intelligi. » Idem : « In septimo libro quæstio, quæ dilata fuerat, explicatur, ita ut Deus qui genuit Filium, non solum sit Pater virtutis et sapientiæ suæ, sed etiam ipse virtus et sapientia. Sic et Spiritus sanctus : nec tamen simul tres sunt virtutes, aut tres sapientiæ ; sed una virtus et una sapientia ; sicut unus Deus et una essentia. Deinde quæsitum est, quomodo dicatur una essentia tres personæ, vel, ut a quibusdam Græcis, una essentia tres

substantiæ : et inventum est, elocutionis necessitate dici, ut aliquo uno nomine enuntiaretur, cum quæritur, quid tres sint, quos tres esse confitemur, Patrem scilicet et Filium et Spiritum sanctum. »

33. Idem : « Ad hoc ratio pervenit, ut sic sit Filius sapientia de sapientia, quomodo lumen de lumine, Deus de Deo ; nec aliud potuimus invenire Spiritum, nisi et ipsum esse sapientiam, et simul omnes unam sapientiam, sicut [2576] unum Deum, unam essentiam. Hanc ergo Sapientiam, quod est Deus, quomodo intelligimus esse Trinitatem ? Non dixi, Quomodo credimus : nam hoc inter fideles non debet habere questionem. » Item : « Jam in hoc libro superius disputavi, non sic accipiendam esse Trinitatem, quæ Deus est, ex istis tribus, quæ in trinitate nostræ mentis ostendimus ; ut tanquam memoria sit omnium Pater, et intelligentia omnium Filius, et charitas omnium trium Spiritus sanctus : quasi Pater non intelligat sibi, nec diligat ; sed ei Filius intelligat, et Spiritus sanctus ei diligat, ipse autem, et sibi et illis tantum meminerit : et Filius nec meminerit nec diligat sibi ; sed miminerit ei Pater, et diligat ei Spiritus sanctus ; ipse autem et sibi, et illis tantummodo intelligat, ipseque Spiritus sanctus nec meminerit, nec intelligat sibi ; sed meminerit ei Pater, et intelligat ei Filius ; ipse autem et sibi et illis, non nisi diligat : sed sic potius, ut omnia illa tria. et omnes et singuli

habeant in sua quisque natura ; nec distent in eis ista ; ut in nobis, aliud est memoria, aliud intelligentia, aliud dilectio sive charitas : sed unum aliquid sit, quod omnia valeat, sicut ipsa sapientia. Et sic habetur in uniuscujusque natura, ut qui habet, hoc sit quod habet, sicut immutabilis simplexque substantia. »

34. Idem : « Res quibus fruendum est, Pater et Filius et Spiritus sanctus, eademque Trinitas, una quædam summa res est, communisque omnibus fruentibus ea, si tamen res, et non rerum omnium causa ; si tamen causa. Neque enim facile nomen, quod tantæ excellentiæ conveniat, inveniri potest. » Idem : « Istum unum verum, qui solus est naturaliter Deus ; non Patrem solum, neque Filium solum, neque solum Spiritum sanctum : sed simul Patrem et Filium et Spiritum sanctum esse diximus. » Idem : « Si una illa essentia Patris et Filii et Spiritus sancti una esset persona, non diceretur, *Ad imaginem nostram* ; sed, *Ad imaginem meam* : nec dixisset, *Faciamus* ; sed, *Faciam*. Quid igitur ? quod jam docemur, unam illam essentiam Patris et Filii et Spiritus sancti, ne ullam quidem esse personam. » [2577]

35. Idem : « Quia in illo uno vero Deo Trinitate, non solum quod unus Deus est, sed etiam quod Trinitas est, naturaliter verum est : propterea ipse verus Deus in personis Trinitas est, et in natura unus est. » Idem : « Principaliter tene, omnem naturam, quæ non est Trinitas Deus, ab

ipsa sancta Trinitate, quæ solus verus et æternus est Deus, creatam ex nihilo. Edissere nobis, si potes, quæ natura sit Trinitas Deus : cum divina natura nec Deus, nec Trinitas sit : aut certe ex nihilo eam fateare creatam, quæ non sit Trinitas Deus. Id enim tenendum principaliter a magno fidei principe commendatur. »

36. Augustinus : « Satis est Christiano rerum creatarum causam, sive cœlestium, sive terrestrium, sive visibilium, sive invisibilium, non nisi bonitatem intelligere Creatoris, qui est unus Deus et verus ; nullamque esse creaturam, quæ non aut ipse sit, aut ab ipso ; eumque esse Trinitatem, Patrem scilicet et Filium et Spiritum sanctum ; manifesta sunt testimonia, nec ullius egent interpositionis. »

37. Augustinus : « Deus dicitur vis illa ineffabiliter magna, et innumerabiliter sapiens, ut scriptum est : *Magnus Dominus et magna virtus ejus.* (Psal. CXLVI, 5). Vis ista Deus est, et Deus ipse tria est. » Idem : « Omnis mens quidquid scit, amat scire. Amor non minus quam inter duos est, amantem, et quod amatur. Unus est ergo amborum amor, qui et tertius est. Non autem potest negari, hoc totum unam animam esse, et unam animam esse hæc tria. Sicut enim hæc tria vere anima una est ; sic hoc unum, et hoc alterum, et hoc tertium. Comparet igitur se hæc creatura tam eminens Creatori suo supereminenti sibi, excepto hoc et multum supra se amoto, quod

omnis bonitas et omne bonum, et omnis bonitatis et boni dulcedo Creatoris a se ipso est. »

38. Athanasius : « Illuc mihi necessario video festinandum, ut tres unum esse, et unum tres esse ; et si non ratione qua homo sum, tamen auctoritate perdoceam. » Idem : « Supernarum virtutum carmina unum tres esse, et tres unum esse demonstrant. » Sed hic Theologus noster e contra tres quidem unum, sed non unum tres esse demonstrat, ne Sabellianos forte sequatur. Cæterum ad hunc nostrum audiat [2578] Athanasium suo Ario respondentem : « Nec Sabellium incurrimus, tres unum Deum fatendo ; nec tuæ perfidiæ laqueis irretimur, dum hunc Deum Trinitatem esse ingenue confitemur. »

39. Ex istis scientia est Deus, Deus est Trinitas. Idem : « Ibi enim unitas vere est Trinitas, et Trinitas vere est unitas. Tunc perfecte cognoscemus, quod modo salubriter credimus. Neque enim aliter animadvertere merebimur, nisi nunc, quæ vera sunt, fateamur, hoc est, veram, coæternam, incommutabilem, distinctam personis et inseparabilem Trinitatem, replentem omnia simul substantiali virtute sua. Unum simplex, trinumque : hæc tria, unum et hoc unum tres : sed non tres Patres, nec tres Filii nec tres Spiritus sancti. Tres unum, et unum tres confiteor. Hæc tria unus Deus, et unus Deus hæc tria. » Idem : « Deus et Dominus, vera et sempiterna Trinitas in personis ; vera et sempiterna unitas in substantia :

quia una est substantia Pater et Filius et Spiritus sanctus. Si una substantia est Pater et Filius et Spiritus sanctus ; quare solus Filius incarnatus dicitur ? Quia alia persona Patris, alia Filii, alia Spiritus sancti. »

DE CAPITULO TERTIO.

40. Tertium radicis vipereæ germen proprietates, id est relationes, personis tribus attribuit, quæ non sint ipsæ personæ : res sempiternas et ab invicem, et a divina substantia numero differentes ; ut inveniatur, non Trinitas, sed quaternitas : cum divina illa substantia sit hoc unum, et quælibet trium proprietatum aliud unum. Nam et quatuor tradit unitates æternas, quarum prima quidem adsit summæ illi naturæ, qua Deus est ; tres residuæ proprietatibus tribus. Porro personas ipsas illa unitate Deum unum dici, reliquis vero tribus unitatibus esse tria. Ubi, si diligenter advertas, quod imparitatem hanc relationis ratio non admittit, quatuor statim proprietates occurrunt. Neque enim referri ad Patrem et Filium Spiritus potest, quin et ipsi referantur ad Spiritum. Sed nec eadem, qua ipse, possunt relatione referri ; ne sit una in Trinitate sine proprietate persona. Nempe ut diversa a paternitate filiatio est, sic et a [2579] processione productio ; si tamen hoc eam nomine placeat appellari. Jam vero huic suam necesse est dare unitatem ; et adhuc crescet rerum numerus

æternarum, si fuerit qui prosequatur. Multa siquidem hinc pullulare necesse est, ut ex radice colubri regulus oriatur. Sed hæc disputatio supra nos est : majoribus reservetur. Forte tamen ipsa sibi impietas ad omnem confusionem sufficere poterit : dummodo lectoris diligentia perscrutetur glossam obscuriorem textu, adversantem utpote textui, et sectandis involucris laborantem. Si quominus, abundant testimonia Scripturarum, quibus impietas omnis, licet impudentissima sit, obruatur.

41. « Illius enim proprietas prædicationis, qua de quo unum horum prædicatur, aliud prædicari non potest : satis patenter ostendit, non modo inter se, verum etiam ab omnibus illis, quæ de illorum subjectis communiter dicuntur, et ab eo maxime quod unum de tribus, multis nominibus substantialiter prædicatur, hæc esse diversa. Est autem hæc diversitas non modo in numero, quo scilicet hoc unum est ; quodlibet vero illud est aliud unum : verum etiam natura generis, et loco rationis. »

42. Substantiam divinam dicit, eam scilicet non quæ est, sed qua est Deus, unam multis nominibus prædicari, cum dicit, Deus magnus, bonus, et omnipotens, et his similia. Eadem enim in Deo est sapientia, et essentia, et veritas, et omnipotentia ; et quæcumque de Deo dicimus in hunc modum Ab hac ergo substantia divina personales proprietates (nam de his utique

loquimur) numero dicit esse diversas ; ut ipsa quidem si hoc unum : quælibet vero illarum proprietatum aliud unum. Nec vero hæc differentia sufficit, nisi amplior quoque diversitas generis et rationis accedat. Vide autem : si enim hic merito verbis Boetii respondemus, cum de rerum principe loquamur Deo, fingat, qui potest, quis hæc tam diversa conjunxerit ? Nam quod sit de proprietate prædicationis, ut de quo unum illorum trium prædicatur, alterum prædicari non possit (unde et alibi quoque res oppositas nominavit, et unum Deum, tres esse personas negabat), evidenter Boetius ipse confutat.

43. « Quæro an Pater et Filius et Spiritus sanctus prædicentur substantialiter de divinitate, [2580] an alio quolibet modo. » Item : « Ex his intelligimus, Patrem et Filium et Spiritum sanctum non de ipsa divinitate substantialiter dici, sed alio quodam modo. Dico enim, si de divinitate prædicantur ; et de uno, cum non sit nisi una divinitas. » Deinde quod personas ipsas relationum subjecta dicit, catholicus horret auditus. Unde et ipse Boetius de Deo utique loquens (neque enim aliud aliquid tam eleganter cæteris omnibus assereret præferendum, sicut et supra meminimus) ait : « Hoc vere unum est, in quo nullus numerus, nullum in eo aliud præterquam id quod est. Neque enim subjectum fieri potest, forma enim est ; formæ vero subjectæ esse non possunt. » Et ne in hoc quidem a beato

Augustino Boetius ipse dissentit ; cum et ille doceat, in Dei substantia non aliud esse substantiam, et aliud quod accidit ipse substantiæ ; sed quidquid in ea intelligi potest, esse substantiam.

44. Et an forte proprietates illas non in Deo ponere, sed extrinsecus affingere videatur ? ait siquidem quodam loco : « Theologicæ personæ, quoniam ejus quo sunt, et simplicitate id quod sunt, essentialium oppositione a se invicem aliæ esse non possunt : sed harum quæ dictæ sunt, extrinsecus affixarum rerum oppositione a se invicem aliæ et probantur, et sunt. » Ubi, obsecro ? Extra Deum : siquidem ex ipso, et per ipsum et in ipso sunt omnia. Denique si quid illi affixum extrinsecus fuerit, extra veritatem, extra æternitatem esse convincitur. Semel crucifixus pro nobis Unigenitus Dei Patris, nec sibi, nec Patri, nec Spiritui utique suo quidquam a nobis deinceps patietur affingi. Postremo, si vere tres illas affingit extrinsecus, ubi illud erit, quod tanquam sibi maxime suffragaturum protulit : « In substantia unitas, in personis proprietas, et in majestate adoretur æqualitas ? Audis, inquit, in personis proprietas : et dubitas credere personales esse proprietates res æternas, quæ non ipsæ personæ sint, sed in ipsis ? » Modo affigebantur extrinsecus : sed fides catholica nec affixas recipit, nec infixas. Nimirum sicut in personis proprietatem, sic in substantia unitatem, sic in

majestate æqualitatem adorat : sed hæc omnia per indifferentiam dicta sapit, quicumque non desipit. Nihil enim in Deo est, præterquam id quod est. Sed nec proprietates [2581] ait illa scriptura, quamvis et hoc sane posset intelligi, imo vero proprietas in personis, id est, distinctio. Adoratur itaque in substantia unitas, in personis proprietas, in majestate æqualitas ; id est, substantia una, personæ distinctæ, majestas æqualis. Alioquin, si verbis insistere libet, adorentur ab eo in personis relationes, res æternæ quæ Deus non sint. Nam a nobis sola fideliter adoratur illa simplicissima substantia et natura, quæ est Trinitas Deus. Adhuc tamen quemadmodum de his proprietatibus disserat, audiamus.

45. « Quoniam paternitas, et filiatio, et connexio diversa sunt ; oportet unitates quoque, quæ illis adsunt, a se invicem esse diversas : et quia, quamvis substantiæ substantia alia, vel accidens adsit ; accidenti tamen non potest adesse substantia ; unitates quæ adsunt paternitati, et filiationi, et connexioni nequaquam poterunt esse substantiæ. »

46. Hic, si diligens lector advertat, nil consequentiæ in eo reperiet quod infert : « Propterea unitates, quæ proprietatibus adsunt, substantias esse non posse, quod accidenti non potest adesse substantia. » Nisi ipsas proprietates accidentia velit intelligi : alioqui si non sunt accidentia, quid rationis habere videtur, eo quod

accidenti substantia adesse non possit ; quæ illis adsunt, nequaquam posse esse substantias ? Atqui accidentia eas esse, ne ipse quidem proprietatum Magister voluit profiteri, medias quasdam res inter substantias accidentiaque constituens. Ad hæc, qua ratione suum hunc ternarium, aut quaternarium magis : quatuor enim, aut forte etiam plures æternas invenit unitates : hunc, inquam, numerum, qua ratione quaternitatem possit negare, non video. Manifeste siquidem numerus est, quo numeramus, numerus rerum ad invicem differentium. Cæterum si hæc ita se habent, tota illa Boetii de numerali differentia disputatio deleatur, quæ non solum differentiam numeri, sed et ipsum quoque numerum quo numeramus, ubi repetitio unitatum pluralitatem facit, ab ineffabili illa removet Trinitate. Triplicem quippe proponens, generis scilicet, et speciei, et numeri differentiam : « Age igitur, inquit, ingrediamur ; et unumquodque, ut intelligi atque capi potest, dispiciamus. » Post longam deinde disputationem inferens ait : « Nulla [2582] igitur in Deo diversitas, nulla ex diversitate pluralitas, nulla ex accidentibus multitudo, atque idcirco nec numerus. Deus vero, a Deo, nullo differt, nec vel accidentibus, vel accidentalibus differentiis in subjecto positus distat. Ubi vero nulla est differentia, nulla est omnino pluralitas ; quare nec numerus. Igitur unitas tantum : nam quod tertio repetitur, Deus ; cum Pater et Filius et Spiritus

sanctus nuncupatur, tres unitates non faciunt pluralitatem numeri in eo quod ipsæ sunt ; si advertamus ad res numerabiles, ac non ad ipsum numerum. Illic enim unitatum repetitio numerum facit. In eo autem numero, qui in rebus numerabilibus constat, repetitio unitatum atque pluralitas minime facit numerabilium rerum numerosam diversitatem. Numerus enim duplex est : unus quidem, quo numeramus ; alter vero, qui in rebus numerabilibus constat. Etenim unum res est unitas, qua unum dicimus. Duo rursus in rebus sunt, ut homines vel lapides ; dualitas nihil, sed tantum dualitas, qua duo homines vel lapides duo fiunt : et in cæteris eodem modo. Ergo in numero quo numeramus, repetitio unitatum facit pluralitatem : in rerum vero numero non facit pluralitatem unitatum repetitio ; velut si de eodem dicam, Gladius unus, mucro unus, ensis unus. Potest enim tot vocabulis gladius agnosci. Hæc enim unitatum repetitio, iteratio potius est, non numeratio : velut si ita dicamus, Ensis, mucro, gladius ; repetitio quædam est ejusdem, non numeratio diversorum : velut si ita dicam, Sol, sol, sol ; non tres soles effecerim, sed de uno toties prædicaverim. Non igitur si de Patre ac Filio et Spiritu sancto, tertio prædicatur Deus, idcirco trina prædicatio numerum facit. Hoc enim illis, ut dictum est, imminet, qui inter eos distantiam faciunt meritorum. Catholicis vero [*supr. ad.*, nihil] in differentia constituentibus, ipsamque formam,

ut est, esse ponentibus, neque aliud esse, quam est ipsum quod est opinantibus, recte repetitio de eodem, quam enumeratio diversi videtur esse, cum dicitur, Deus Pater, Deus Filius, Deus Spiritus sanctus, atque hæc Trinitas unus Deus : veluti ensis atque mucro, unus gladius ; velut sol, sol, sol, unus sol ».

47. Vere stultam fecit Deus sapientiam hujus mundi ! Hæc enim lectitans et hæc tractans [2583] homo tantarum litterarum, nihilominus auget numeros, multiplicat unitates, simplicissimam æternitatem rerum numerositate dispertit. Trifariam denique constituit Trinitatem, personarum, proprietatum, unitatum : nobis autem sola personarum Trinitas commendatur.

48. Augustinus : « Si enim minus magna est charitas quam sapientia, minus quam est diligitur sapientia. Æqualis est igitur, ut quanta est sapientia, tantum diligatur. Est autem Sapientia æqualis Patri, sicut supra diximus. Æqualis est igitur etiam Spiritus sanctus ; et si æqualis, in omnibus æqualis propter summam simplicitatem, quæ in illa substantia est : et ideo non amplius quam tria sunt. Unus diligens eum qui de illo est, et unus diligens eum de quo est, et ipsa dilectio : quæ si nihil est, quomodo. Deus est ipsa dilectio, si non est ? » Idem : « Numerus, et mensura, et pondus ipse Deus est. Ipse est numerus sine numero, a quo omnis numerus : ipse est mensura absque mensura, a quo omnis mensura : ipse

pondus sine pondere, a quo est omne pondus. *Omnia ergo in numero, et mensura, et pondere disposuit* (Sap., XI, 21) : tanquam diceret, Omnia in se disposuit. » Idem : « Deus simplex est natura, et immutabilis, et imperturbata ; nec aliud est ipse, et aliud quod habet. »

49. Isidorus : « Simplex dicitur Deus, sive non advertendo quod habet ; sive quia non aliud est ipse, et aliud quod habet. »

50. Hieronymus : « Deus simplex est natura et immutabilis ; nec aliud est ipse, et aliud quod habet. » Idem : « Omne quod est, aut ingenitum est, aut genitum, aut factum. Proprium autem Dei est non cœpisse. » Idem : « Quid ergo de proprietatibus dicimus personarum ? » Eundem audiamus. « Non enim nomina tantummodo, sed etiam nominum proprietates, id est personas, vel ut Græci exprimunt, hypostases, hoc est, subsistentias confitemur. Itaque substantia unum sunt, personis ac proprietatibus distinguuntur. »

51. Gregorius Nazianzenus : « Deum cum nomino, uno lumine illuminamini, et tribus : uno quidem, secundum substantiam ; tribus vero, secundum uniuscujusque proprietates sive subsistentias, ut aliquibus videtur [2584] dicendum, sive personas. Nihil enim pro vocabulorum diversitate distat, cum ad eundem sensum nominum diversitas provocet intellectum. »

52. Alcuinus : « Ingenitus, Genitus, et Procedens una natura est, tres proprietates, unus Deus. Omne quod est, aut semper fuit, et non esse cœpit ; aut non semper fuit, et esse cœpit. Quod itaque non cœpit esse, sed semper fuit, Pater et Filius et Spiritus sanctus : quod vero esse cœpit, omnis est creatura. »

53. Isidorus : « Trinitas est appellata, quod fiat totum unum ex quibusdam tribus, quasi Trinitas ; ut memoria, intelligentia, et voluntas, in quibus mens habet in se quamdam imaginem Trinitatis divinæ. Nam cum tria sint, unum sunt ; quia et singula in se manent, et omnia in omnibus. Pater igitur et Filius et Spiritus sanctus Trinitas et Unitas. Id enim unum, idem et tria. » Cujus utique testimonii secundo manifeste erroris hujus capitulo pars novissima contradicit, sicut et aliæ multæ ex his auctoritatibus, aut duobus, aut etiam tribus capitulis evidenter opponi facile diligens lector advertet : sed initium quod tertio specialiter adversatur. Ille enim Trinitatem tres unitates exponit, scribens hoc modo : « Quo fit ut nec Trinitas, id est tres unitates, de Deo substantialiter prædicentur. » Isidorus vero Trinitatem trium unitatem fidelius interpretatur.

DE CAPITULO QUARTO.

54. Restat capitulum quartum, primi utique virulenta propago. Quocirca non illi diutius immorari necesse est : quippe quod in ipsa jam

radice sua confutatum esse videtur. Divinam quippe naturam Deum non esse contendens, eo usque prorupit, etiam non interrogatus, ut incarnationem sic tribueret personæ Filii, ut ipsi divinitati eam omnino negaret. Scripserat autem super eodem capitulo in sua illa expositione, pro libitu bene dicta depravans. Hæc enim sunt verba Boetii : « Sed humana forsitan natura in deitatem videatur esse conversa. Hoc vero qui fieri potest, si divinitas in generatione Christi et humanam animam suscepit, et corpus ? » Item : « Cum in eadem persona aliud sit divinitas quæ suscepit, aliud quam [2585] suscepit, humanitas : non enim natura, sed persona. » Utquid ita ? A te ipso habes, an alii docuerunt te ? credo proprium est expositoris, cui nec auctor ipse, nec sanctorum quispiam consentire videtur. Propheta dicit in Psalmo : *Veritas de terra orta est* (Psal. LXXXIV, 2). Expone tu, *Veritas*, id est, verus ; et audiant quorum animas non attingit zelus Dei. Dicit Salomon : *Sapientia ædificavit sibi domum* (Prov. IX, 1). Expone, *Sapientia*, id est, Sapiens ; sed non nobis.

55. Augustinus : « Ergo qui forma Dei accepit formam servi, utrumque Deus, utrumque homo. » Idem : « Si enim divina substantia longe distantior, atque incomparabili diversitate sublimior, potuit propter nos ita suscipere humanam substantiam, ut una persona fieret : quanto credibilius, alii et alii homines, sancti et

fideles ejus fiunt cum homine Christo unus Christus ? » Idem : « Neque enim natura æterna atque divina temporaliter nasci ex natura humana ullatenus posset, nisi secundum susceptionem veritatis humanæ veram nativitatem temporaliter conceptionem ineffabilis in se divinitas accepisset. » In eodem : « Sic veritas incommutabilis manet humanæ divinæque naturæ, ut sicut vera semper est ejus divinitas, quam de Patre incommutabilem habet : ita vera semper atque incommutabilis sit ejus humanitas, quam sibi unitam summa divinitas gerit. » Idem : « Licet unam personam in Christo credamus, duas tamen substantias, id est naturas, fatemur, divinitatis scilicet et humanitatis, assumptricis et assumptæ, creatricis et creatæ. » Idem : « Adveniens divinitas in uterum Virginis, carnem sibi fabricavit ex substantia ipsius, quam pro salute nostra suscipiens ; et sibi coadunans, natus est Deus homo. »

56. Fulgentius : « Hic puer sicut veram carnem, sic veram habuit animam : ut vera illa divinitas totam hominis et reparandam susciperet, et susceptam posset reparare naturam. »

57. Gregorius : « Venit ad nos calceata divinitas. » [2586]

58. Alcuinus : « Sic est ergo Christus plenus gratiæ et veritatis, ut sicut a divinitate plenitudo humanitatis suscepta est ; ita in ejus humanitate plenitudo sit divinitatis. » Idem : « Non enim

alicubi divinitas humanitatem, ex quo in unitatem suæ personæ assumpta est deseruit.. »

59. « Utique divinitas suæ carnis conceptione concepta est, et nativitate nata : sensitque participatione humani affectus mortem, quam sponte susceperat ; non naturæ suæ potentiam perdidit, per quam vivificat omnia. » Idem : « Omnium, quæ in Christo gesta sunt, operum auctoritas ex divinitate est : tamen carni convenit dicere. *Potestatem habeo ponendi animam meam* (Joan. X, 18), non divinitati, Divinitas enim non dimisit animam, postquam assumpsit. »

60. Hilarius : « Non enim defecerat natura, ne esset ; sed in se humilitatem terrenæ nativitatis manens sibi natura Dei suscepit. »

61. Leo papa : « Salva igitur proprietate utriusque naturæ et substantiæ, et in unam coeunte personam, suscepta est a majestate humilitas, a virtute infirmitas, ab æternitate mortalitas : atque ad solvendum naturæ nostræ debitum, naturæ inviolabiliter unita passibili. » Idem : « Non sic creatura in societatem sui Creatoris assumitur, ut ille habitator, et illa esse habitaculum : sed ita vere naturæ alteri natura altera misceretur. Et quamvis alia sit quæ suscipitur, alia vero quæ suscipit : in tantam tamen convenit unitatem utriusque diversitas, ut unus idemque sit Dei Filius, qui se, et secundum quod verus est homo, Patre dicit minorem (Joann. XIV, 28), et secundum quod verus est

Deus, Patri profitetur æqualem (Joan. X, 30).»
Idem : « Verbum caro factum est provectione
carnis, non defectione divinitatis ; quæ sic
potentiam suam bonitatemque moderata est, ut et
nostra suscipiendo proveheret, et sua
communicando non perderet. » Idem :
« Probatissimum esse decebat, Verbum carnem
factum, et sempiternam illam essentiam Filii Dei,
hominis veram suscepisse naturam. » Idem :
« Nisi Verbum [2587] caro fieret, et tam solida
existeret unitas in utraque natura, ut a suscipiente
susceptam, nec ipsum breve mortis tempus,
abjungeret, nunquam valeret ad æternitatem
redire mortalitas. » Idem : « Suscepit nos in suam
proprietaem illa natura, qua se in quas voluit
mensuras benignitatis inflexit, nec unquam
conversionem incurrit mutabilitatis. Suscepit nos
illa natura, qua nec suis nostra, nec nostris sua
consumeret. Suscepit nos illa natura, quæ et
imaginem nostri generis a communi tramite non
abrumperet, et contagionem peccati in omnes
homines transeuntem excluderet. » Idem : « In ea,
licet per nostros, non Verbum aut in carnem, aut
in animam, aliqua sui parte conversum est. Cum
simplex et incommutabilis natura divinitatis tota
in sua sit semper essentia ; nec damnum sibi
recipiens, nec augmentum : et sic assumptam
naturam beatificans, ut glorificata in glorificante
permaneat. »

62. Novissime paucis monemus eos, qui scientiæ magis quam conscientiæ student, ne de cætero tam facile acquiescant nova in fide tradentibus: sed cauti sint non transgredi terminos, quos posuere patres nostri, nec circumferri omni vento doctrinæ. Id nempe solum ad omnem confutationem novitatis, præsertim in ratione fidei, satis esse debuerat, quod novitas est. Nam qui testimonia interdum aliqua Scripturarum exquisita detorquet, novitatis auctor est. Quantæ præsumptionis est! tanquam soli ipsi legerint, intellexerintve Scripturas. Et nemo ante te, frater, catholicus fuit, et perierat fides nostra, quando tertius e cælo cecidit Cato, et magistri tui ignoraverunt fidem? et tu ipse ante hos annos, priusquam in Parnasso somnianti novum tibi revelaretur evangelium, in errore fuisti; et adhuc, præter paucos discipulos tuos, errat Ecclesia universa? Id ut dicere impudentissimum, sic sentire superbissimum; credere stultissimum jure censetur.

63. Ut enim ad hæc specialiter capitula, quæ præ manibus sunt, revertamur; nunquid non audientibus tam nova dogmata considerandum fuerat, quantos sapientes et litteratos viros non longe antehac habuisset Ecclesia sanæ opinionis et doctrinæ, qui manifeste contraria senserant, et docuerant? Dico autem insignes illos, Laudunenses, Anselmum, et Radulfum [2588]; magistrum etiam Albericum Remensem, post

Bituricensem archiepiscopum ; et fidelissimum divini verbi tractatorem Hugonem de Sancto-Victore ; sed et Robertum Pullum, apostolicæ Sedis cancellarium, cæterosque quamplures, quorum, aut præsentia adhuc, aut memoria recens in benedictione est : quorum communis exstat sententia, Quidquid in Deo est, Deum esse. Hinc magister Radulfus Laudunensis in quadam scriptura sua, sic ait : « Per illa nomina, Pater, et Filius, et Spiritus sanctus, nullas intelligimus poni proprietates (sicut de τὸ πῦρ superius dictum est) quæ sint aliud quam ipsæ personæ. » Et magister Hugo : « Quia in Trinitate est qui a nullo est, et est ibi qui ab illo est, et est ibi qui ab utroque est ; Trinitas vera est, et unitas manet perfecta : quoniam in Deo nihil esse potest quod Deus non est ; quia unum est totum quod est. » Idem : « In natura divinitatis, ubi multiplicitas aut diversitas nulla est ; persona, et id quod est in persona, divisum esse non potest.

64. Capitulum primum : Quod divina essentia, substantia et natura, quæ dicitur divinitas, bonitas, sapientia, magnitudo Dei, et quæque similia, non sit Deus ; sed forma, qua est Deus,

65. Capitulum secundum : Quod nec unus Deus, nec una substantia, nec unum aliquid sint tres personæ, Pater, Filius et Spiritus sanctus.

66. Capitulum tertium : Quod tres personæ tribus unitatibus sint tria, et distinctæ

proprietas tribus, quæ non hoc sint, quod ipsæ personæ, sed sint tria æterna differentia numero, tam a se invicem, quam a substantia divina.

67. Capitulum quartum : Quod divina natura non sit incarnata, nec naturam humanam susceperit.

SYMBOLUM FIDEI

Quod adversus eadem Capitula editum est a Patribus decem provinciarum, cum episcopis et abbatibus plurimis dictante reverendissimo abbate Claræ-Vallis Bernardo.

I. Credimus et confitemur, simplicem naturam divinitatis Deum esse, nec aliquo sensu [2589] catholico posse negari, quin sit Deus divinitas, et divinitas Deus. Sicubi vero dicitur, Deum sapientia sapientem, magnitudine magnum, æternitate æternum, unitate unum, divinitate Deum esse, et alia hujusmodi : credimus non nisi ea sapientia, quæ est ipse Deus, sapientem esse ; non nisi ea magnitudine, quæ est ipse Deus, magnum esse ; non nisi ea æternitate, quæ est ipse Deus, æternum esse ; non nisi ea unitate, quæ est ipse Deus, unum esse ; non nisi ea divinitate Deum, quæ est ipse, id est se ipso, sapientem, magnum, æternum, unum, Deum.

II. Cum de tribus personis loquimur, Patre, Filio, et Spiritu sancto, ipsas unum Deum, unam divinam substantiam esse fatemur : et e converso, cum de uno Deo, una divina substantia loquimur, ipsum unum Deum, unam divinam substantiam esse tres personas profitemur.

III. Credimus solum Deum Patrem et Filium et Spiritum sanctum æternum esse, nec aliquas omnino res, sive relationes, sive proprietates, sive singularitates, vel unitates dicantur, et hujusmodi alia, adesse Deo, quæ sint ab æterno, quæ non sint Deus.

IV. Credimus ipsam divinitatem, sive substantiam divinam, sive naturam dicas, incarnatam esse, sed in Filio.

EJUSDEM GAUFRIDI EPISTOLA AD
JOBERTUM.

Continens notulas in Orationem dominicam. (Matth. VI, 9-13).

Dilecto suo, frater Gaufridus, psallere et orare spiritu simul, et mente.

1. Adnotationem tibi in Oratione dominica, frater mi Josberte, petisti per capitula singula orationis ipsius quadrifaria partitione distinctam, ut memoriæ firmiter hæreat, et nec exilis nimium, nec diffusior videatur. Ego vero tuum mihi quaternarium exhibens, et in hac parte geminam tibi adnotationem dare, et cito dare [2590] curavi, sciens quod scias, quod bis dedit qui cito dedit. Nec displiceat brevitatis forsitan subobscura: ad exercitium proderit, occasionem apponendi ad sapientiam administrans. *Oportet semper orare, et non deficere* (Luc. XVIII, 1), ait Dominus. Quod fidelibus universis ex dominica admonitione sectandum, specialiter tamen nostræ professioni noscitur convenire. Ea siquidem Danielis persona significatur et nomine, qui cum Noe et Job in propheta legitur esse salvandus (Ezech. XIV, 14). Vir desideriorum etiam vir orationum est. Bene semper orat, qui bene optat sine intermissione. Efficacius apud Deum vota quam verba clamant, et continua cordis affectio jugis oratio est. Felix Daniel, adversus quem occasio nulla, nisi de lege Dei potuit inveniri. Felix, qui maluit periculum

mortis incurrere, quam ab oratione cessare (Dan. VI). Quanto magis nos, quibus imminet mors dissimulantibus, orantibus repromittitur vita, semper orare, et non deficere convenit? Sed et hoc nihilominus attendendum, ut licet interdum verbis forsitan aliis semper sic oremus, ut nulla nostra optatio, nulla oratio, nulla petitio a fonte discrepet, quam peritissimus dictavit Orator, et singularis instituit Advocatus. *Sic orabitis*, inquit, *Patrem*.

2. *Pater noster, qui es in cælis*. Ad Patrem dirigenda traditur nobis oratio, quod illius gloriam quærat Filius, et quæcumque ille tribuit, pariter tribuat, qui quæcumque fecerit, similiter facit. Et dicatur plurali numero, ut pro nobis invicem semper oremus. Sicut enim communis adoptio, sic communis oratio est. Illius est singularis oratio, cui propria filiatio, juxta illud : *Ascendo ad Patrem meum et Patrem vestrum* (Joan. XX, 17), etc. *Pater noster, qui es in cælis*. Præfatio brevis, sed utilis et efficax, tangit quatuor fibras cordis, affectiones lætitiæ et timoris, tristitiæ et desiderii. Siquidem dum recolimus Patrem nos habere Deum, ex fiduciæ conceptione gaudeamus : sed nihilominus ad reverentiam timor sollicitat, ne nos inveniat tantus Pater indignos, degeneres vel ingratos. Cum dicimus, *Qui es in cælis*, si non desipimus, animum mordet tristitia, quod in nobis necdum inhabitet : sed quemadmodum exaltantur cæli a terra supra nos : sic a nobis nec modo

peregrinemur, sed longe peregrinemur a Domino, donec simus in cœlo : nihilominus etiam merito concupiscimus fieri cives cœli, optamus esse cœlibes cœli, ut [2591] perinde sit et in nobis, *Pater noster, qui es in cœlis. Si quis enim diligit me, inquit, sermones meos servabit, etc. usque faciemus* (Joan. XIV, 23). Liquet necdum mansionem habere qui faciunt, sed ut perficiant, ut inhabitent et permaneant merito concupiscimus et optamus. Super Jesum Spiritus mansit, et hoc signum quod acceperat qui audivit : *Super quem videris Spiritum descendantem et manentem, hic est qui baptizat* (Joan. I, 33). Prima ergo petitio est, *Sanctificetur nomen tuum*. Sanctum equidem nomen Domini, et perpetua ejus sanctitas et perfecta. Sed optandum nobis est et orandum, ut sanctificetur nobis, in nobis, a nobis, ex nobis, per sanctitatis ejus cognitionem, participationem, devotam cordis et oris confessionem, et proximorum ad eadem tria exemplis simul et monitis exercitationem. Nobis enim quodam modo nomen sanctum Domini efficitur, dum cognoscitur ; et in sua semper perfectissima permanens sanctitate, nobis tamen in sanctificatione tanto amplius proficit, quanto verius innotescit. Cujus nos invocatio dum sanctificat, sanctificatur in nobis ; et crescit ipsius sanctitas, dum in nobis diffunditur et augetur. Sanctificatur a nobis, dum ejusdem nomini gloriam damus. Sanctificatur ex nobis, non per nos blasphematur. *Sic luceat lux vestra coram*

hominibus, ut glorificetur Pater cœlestis ex operibus vestris (Matth. V, 16). *Adveniat regnum tuum*. Ad nos veniat, ut a nobis credatur, speretur, ametur, percipiatur, dicente Rege : *Percipite regnum quod vobis paratum est* (Joan. XXV, 34). Via nempe trium dierum regni Dei ad nos, et ad ipsum, nostra est fides, spes, charitas : sed in quartam domum perveniet, quando venient benedicti. *Fiat voluntas tua sicut in cœlo et in terra*. Ad illud respicit quod præmittitur. *Qui es in cœlis*, et duabus quoque prioribus adnectendum petitionibus, ut sanctificetur nomen Domini sicut in cœlo et in terra, et similiter veniat regnum ejus. Fiat in nobis voluntas tua, ut nihil nisi post te, propter te, secundum te, per te velimus. Post te, ut in quibus fuerit tua certa voluntas, nostra etiam firma stabilitate permaneat. In quibus de tua ambigitur, merito etiam nostra sit suspensa, et parata sequi, quocunque eam viderit inclinari. Sed quod voluit Pater ut Filius pateretur, voluit Judas, voluerunt et Judæi pariter : et tamen [2592] neque illi profuit, neque illis. Velimus ergo, Domine, propter te, ut habeamus in omnibus zelum tuum : velimus etiam secundum te, ut non sit zelus absque scientia, sicut qui tuos persequerentur, tibi arbitrabantur obsequium se præstare. Denique quidquid volumus, per te velimus, ut tua fiat omnis nostra voluntas, ut opereris in nobis et velle, et perficere pro bona voluntate. *Panem nostrum quotidianum da nobis hodie* : panem

necessitatis, doloris, laboris, vitæ, et intellectus, ad hujus vitæ sustentamentum, ad pœnitentiæ fructum, ad justitiæ exercitium, ad delectamentum saporis. Super hoc quarto pane Daniel sanctus dicebat, quod in luctu pœnitentiæ constitutus panem desiderabilem non comedit (Dan X, 3). *Et dimitte nobis debita nostra* : quæ quatuor modis contrahimus, debitam non reddentes corpori nostro castigationem, cordi custodiam, humanitatem hominibus, gloriam tibi. *Sicut et nos dimittimus debitoribus nostris* : qui in nos peccaverunt, dando damnum, impediendo profectum, verbo vel opere irrogando injuriam, inferendo quamlibet corporis læsionem. *Et ne nos inducas in tentationem* : sed circumdet scuto veritas tua, ut non timeamus a timore nocturno, a sagitta volante, a negotio perambulante (Psal. XC, 5, 6), etc. Hæc autem sunt pusillanimis impatientia in adversis, imprudens in prosperis insolentia ; ista enim ad noctem pertinent. Illa ad diem : hypocrisis, injusta simulatio, intemperans et effrenis impudentia in publicis notoriisque peccatis. Priora duo ad duplicem aciem, quam mundus producit, pertinent : posteriora ad Gog et Magog, tectum et detectum, quoque legimus in Prophetis (Ezech. XXXIX). *Sed libera nos a malo* : ab obligatione peccati, ab ultione temporali, a sententia damnationis in judicio, a desperatione remedii in inferno.

Ejusdem Gaufridi epistola ad Albinum, Albanensem episcopum et legatum, exstat apud Baronium ad annum 1186: quæ agit de quadam quæstione in Gallia tunc temporis excitata, « de substantia aquæ, vino mista in calice, an et ipsa similiter cum eodem vino in sanguinem Domini convertatur: » cujus controversiæ partem affirmantem tuetur Gaufridus.